

N. 21
N. 25



In hoc vol. sunt.

20 Mücke *Sept u Programmata.*

Baieri de Religione magna Romanensium.

— *de Capitibus quibusdam fidei de quibus Char-*
vinus, Vrygniusq. inter se contendunt.

De efficacia Ministerii et Sacramentorum per homines
malos administrato Respondentis J. L. Langii Diss. Inaug.

De Scrutinio fidei et Christi in nobis.

VEETHENSI de anima. pro anima. s. in quantum

Pastor coram tribunali Div. tenatur pro grege.

— *De Ignorantia Theologorum laudabili*

LOESCHER de ΘΕΟΓΝΟΣΙΑ naturali.

Falt grav de Indifferentismo religionum excludend.

Rambach de Scriptura Sacra ad erroneos vulgi-
conceptus accommodata. ref.

Heydeni de Divinitate SS. ex argumento ab ingenuitate

Stagiographorum in consignandis vel suis vel aliorum vitis

— *de distincta Integritatis ac lapsu Adami cognitione*

— *de Mosi Resuscitatione.*

De Autore Superiorum inenarrabili.

Epistii de eligenda Religione in Germania.

Crastelii Valet. Tigwitt (alt er vobwibawwoudu)

Widerliche Vermahnung des Senatus Academiae

Antonii Daudu Dignitate in vniu. Pörfythen Theo-

logum non vobwou gloudu.

Theologischer Streit. Dreytel von der 3. Auflage.

Verhandlung über den Theologischen Streit. Dreytel,


1. Vermittlung und Schriftmäßiges Urtheil über die Vni-

versität. Georg Wilh. zu Brand. Barchth Rescript etc. dito.

Dreytel des Wüchens der Uebersicht. Dreytel.

" Bruchstück des Lat. Poema wid der Uebersicht der

Uebersicht des Wüchens. ed. Baumgarten.



Fortunante DEO,

DE

ΘΕΟΓΝΩΣΙΑ

NATURALI,

EORUMQUE QUI HAC ABUTUNTUR

Ἀναπολογήσει,

Ex Oraculo Paulino,

Rom. I, 19. 20.

PRÆSIDE

*VIRO summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo,
Excellentissimoq̃*

DN. CASPARE LOESCHERO,

SS. Theologiæ Doct. & P. P. optimè de Ecclesia merito,
hujusdemq̃ve Facultatis p. t. Decano maximè spectabili, Consist.

Eccles. Assessore Venerando, Ecclesiæ Wittenberg. Pastore
Primario, & Circuli Elect. Saxon. Superattendente

Generali longè gravissimo,

*Dno Patrono, Præceptore, eodemq̃ Hospite suo quovis
reverentia & cultûs genere dignissimo,*

E Cathedra B. Lutheri

edifferet publicè

AUTOR

M. CRISTIAN. ERNEST. MUSSIGK.

Lub. Luf.

d. IV. April. M. DC. XCIII.

Witteberga,

Typis Johannis Michaelis Goderitschii.

Reverendissimo, Serenissimoq̄

Principi ac Domino,

**DOMINO
CHRISTIANO II.**

Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium,
Angriae item ac Westphaliae Duci,
Postulato Episcopatus Martisbur-
gensis Administratori, Thuringiae
Landgrafio, Misniae nec non Lusa-
tiae superioris & inferioris Marchio-
ni, Principalis dignitatis Comiti
Hennebergae, Comiti de
Marca & Ravensburgo,
Dynastae in Ravenstein,

Domino meo Clementissimo.

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

Non potui unquam, quin o-
ptimè ominarer patriæ, quæ TIBI PATRI
unà ac DOMINO religiosè paret, & devota
obsequia præstat. Namque huic contigit,
Principem habere excelsis animi bonis eminentissimum,
amantem Religionis veræ & sinceræ pietatis, præstan-
tem sapientiâ, consiliiqve plenum, cupidissimum litera-
rum, naturâ bonum clementemqve admirandum in
modum. Quæ singula ejusmodi sunt, ut non modò
AUGUSTISSIMUM cum SERENISSIMO VESTRASq;
maximas simillimasque mentes ac voluntates copu-
laverint, sed & civium subjectissimorum animos mirificè
demulceant, & ad debitam tantarum virtutum venera-
tionem componant. Eadem, PRINCEPS SERENISSI-
ME, ad CELSITUDINEM TUAM, me Clientem &
servum subjectissimum adducunt, & ad illud præstan-
dum invitant, quod TIBI, PATRIÆ PATRI, sanctâ
quâdam lege deberi, ultrò intelligebam. Neqve tamen
quicquam à me amplius poteram impetrare, quàm si
SERENISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ, primitias studi-
orum, quibus me per ætatem tradidi, devotus consecrarem.
Quod

Quæ licet tenues humilésqve videantur, & ad SERENISSIMAM CELSITUDINEM TUAM minimè adscendere; attamen ob solam argumenti conditionem, quæ nemine adeò hominum indigna esse potest, aliquâ saltem commendatione non carent. Maçte igitur hâc hostiâ, PRINCEPS SERENISSIME, quam CELSITUDINI TUÆ puro cordis affectu & humillimo, quo par est, cultu offero. Illam, supplex rogo, accipe propitiâ voluntate, inqve has pagellas oculos clementissimos converte. Quod si exoravero, videbor mihi laboris mei fructum felicissimè consecutus. Etenim, DOMINE CLEMENTISSIME, jure necessitudinis, quod cum Patre filio comune est, expectatione valdè magnâ teneor, ut ejusdem gratiæ fiam particeps, quâ apud SERENISSIMAM CELSITUDINEM TUAM valet is, cui secundùm Deum primam pietatem cum vita debeo. Age verò istam benignitatem propriam & perpetuam conserves huic familiæ subjectissimæ, perinde ac ipsa æternis humillimisq; officiis summâ se fide TIBI mancipavit. Nec desinam, PRINCEPS SERENISSIME, pro salute & incolumitate CELSITUDINIS TUÆ, assiduis precibus DEUM interpellare, quò DOMUI SERENISSIMÆ felix & ab omni parte fortunatum regimen concedat, dominium TUUM fortiter stabiliat, cuncta, quæ turbare communem felicitatem quoqvo modo possunt, repellat; illa verò quæ juvare paritèr ac delectare queunt, magno cumulo evenire jubeat. Hæc summa votorum est, quæ devotâ submissione decernit

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS
T.

Cliens & servus humillimus
M. CHRIST. ERNEST. MUSSIGK.



Q. D. B. V.

οικονομία futuræ Tractationis.

Nitiò ne quid in re tam seria
contra leges bonæ Methodi vi-
deamur admisisse, eam seque-
mur, quæ spontè ex ipsa rei, de
quæ. disquirendum, natura
enascitur, quæquæ ipsa secundum proprietatem
suam nobis subministrat. Hæc Naturalis au-
dit, quæ in nostro quidem instituto, nec magis
conueniens, nec magis evidens, aut quicquid
aliàs requisitorum ^{in uis} ^{odias} est, inuenietur ulla.
Argumentum igitur, quod nobis pertractandum
sumpsimus, est Judiciale. Et forense, translatum ab
actu Et processu Judiciorum, imprimis criminali:
quod scopus Oraculi Apostolici manifestè docet.
Cumquæ huic, veluti fundamento omnis nostra
tractatio inniti debeat, meritò cum illo, quid ad-
mittat,

A

mittat,

mittat, quid minus, ratio ineunda. Itaq³, totum negotium dividemus in tres Partes: Prima aget de Re vel Causa (quæ vim arguendi & convincendi habet:) Secunda de Reo s. Persona fonte, & simul de culpa & crimine: Tertia de Reatu, tanquam Judicii eventu & Catastro-
 2. phæ. Non poterunt autem hæc æquè feliciter expediri, nisi quæ distinctæ considerationis sunt, in certas classes digesserimus, ut nihil prorsus, quicquid in Textu, vel ad voces, vel ad rem pertinere visum fuerit, omittamus. Hinc primùm in Voces pariter ac Phrases studiosè inquirem⁹; illarum emphases & pondera probè examinaturi. Quæ licèt unâ eâdemq³ operâ simul fieri possent; attamen satius est, hunc laborem denuò interfecare: ac primò quidem de vocibus sigillatim, quoad ὀνομασιν, notato insimul penès grecos scriptores usu, disquirere: post ad simplicium vocum compositionem in Textu, transire, atq³ tum mediis ἐξωνυκίαις legitimis adjuvari. His ad eum modum explicatis, eandem rem, accuratiùs, atq³ eo, quo in Academicis consuevit modo, putà acroamatico, pertracta.

tractabimus: sic enim à simplicioribus ad magis composita progredi licebit. Nascentur hinc tres Sectiones, in quas unamquamq, antè enumeratarum Partium resolvemus: Primam, quòd circa voces simplices versatur, φιλολογικὴν; Secundam ἐξηγητικὴν; Tertiam ἀκροαματικὴν, vel quòd etiam Confectaria ex Textu eliciat, πορροματικὴν, inscribere placet. Antequàm verò hanc viam ingrediamur, supplices veneramur DEUM, Patrem Domini nostri JESU Christi, ut det nobis Spiritum Sapientiæ & revelationis, per agnitionem sui, & illuminatos oculos mentis nostræ, ut renovemur ad agnitionem, juxta imaginem ejus, qui condidit nos. Amen! (Eph. I. 17, 18. Col. III, 10.)

A 2

Rom.

Rom. I. 19, 20.

TEXTUS.

Authent.

4 **Τ**ὸ γνωστὸν Ἰᾷ Θεῷ φανερόν ἐ-
στιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς
ἐφάνησε.

Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτῷ ἀπό-
κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοή-
μενα καθοράται, ἢτε αἰδοῦν αὐτοῦ
δύναμις καὶ θεϊότης, εἰς τὸ εἶναι
αὐτῷ ἀναπολογήτως.

Vulg.

Quod notum est D E I, ma-
nifestum est in illis: DEUS
enim illis manifestavit.

Invisibilia enim ipsius à
creatura mundi, per ea quæ fa-
cta sunt, intellecta, conspici-
untur, sempiterna quoque ejus
virtus & divinitas; ita ut sint
inexcusabiles.

Pars I. proponens

Rem s. Causam.

τὸ γνωστὸν, usque ad θεϊότης, inclus.

Sect. I. Philologica.

5 **Τ**ὸ γνωστὸν] Nomen hoc Verbale est, descendens à Primi-
tivo suo Pass. γινώσκωμαι, quod in præter. 3. habet ἐγνώσασθαι,
à quo adeò augmento abjecto, & terminatione Verbi
in Nominis mutatâ, fit Adject. γνωστὸς, ἢ, ὄν, idque in Neu-
tro substantivè etiam usurpatur, ut h. l. Etsi verò hujus gene-
ris Nominum formatio à Verbis suis, in aliis quoque lingvis non
infreqvens sit, illa tamen, quomodo latinè transferant, non omnes
rectè sibi constant. Exemplo esse potest præsens γνωστὸν, quod
Henr. Steph. Thes. G. L. vertit *Cognoscibile*: notatque insuper ad lo-
cum quendam Xenoph. eum duplici modo à Bud. exponi: pro
eo quod cognosci potest, & pro cognitu facili, aliumque Gre-
gorii

gorii per *Notum & Cognitum* explicat. Et sanè, si ἀκριβολογεῖν 6. velimus, indicatum inter τὸ *Cognoscibile & Cognitum*, discrimen, non planè nullum est, quin svadet potius terminatio horum vocabulorum, prius cognoscendi facultatem & potentiam, posterius Cognitionis actum significare: attamen non est tantum, ut datarum Interpretationum altera alteri repugnet; quemadmodum enim id non admitteret una eaqve non dubia Primitivi significatio, ita, quod vocabula latina concernit, per quæ græcum, γνωσόν, exponunt, ea sanè, si adeò rigorosè voces observare voluerimus, pro illo rigore etiam essent accipienda: *Notus* enim non haberi oportet pro Particip. verbi Præter. uti quidem actum eumqve perfectum denotaret, sed, quod in Nomen degenerat, eòqve simul proprium Verbi s. Participii, quod erat determinatio Temporis Præteriti, amittit, & indeterminatè, indefinitè significat. τὸ *Cognoscibile* autem non præcisè potentiam cognoscendi indicat, actui verò opponitur, sed hunc potius, vel aliquid saltem illius involvit, & rectius impotentia & incapacitati cognitionis, sive ei, quod sub cognitionem non cadit, opponitur: id terminis philosophicis confici posset distinctio-
ne inter potentiam logicam & transcendentalem. A vocab. γνωσός, non differt, aut certè parùm, quod apud Poëtas reperitur γνωστός, cujus tamen significationem illi paulùm restringunt ad consanguineum, veluti fratrem, hinc γνωτή, sororem & amicam notat. Adject. verò γνωστικός, cognoscendi facultatem activam significat: unde γνωστικοὶ Hæretici veteres, ἀπὸ τῆς ψευδοτύου γνώσεως, I. Tim. VI, 20. dicebantur.

Φανερόν. Φανερόειν] Derivata sunt ἀπὸ τῆς Φανός, 8. Lucidus, splendidus: unde Substant. Φανός, Laterna, Lampas, Fax: hinc Verbum φαίνω, in lucem edo, ostendo; quod intransitivè, & neutralitè etiam usurpatur pro Luceo, Splendo. Passivum φαίνομαι, in lucem prodeo, in luce versor, conspicio, appareo. Ultima radix est Φάϑ, contr. Φᾶς, Lux, quorum illud magis Poëticum; huic natales debet Φαισφόρος Lucifer, lucem afferens: & iudice *Henr. Steph.* (alii enim invertunt) Φαίδω, idem significans. Solis epitheton, qui est Φανής, & quasi φαίνεται νέϑ, quotidiè novus apparet. Φανερός autem, ut eò
regre-

regrediamur, exponitur Manifestus, Apertus: hinc Formulæ Græcis familiares: ἐκ τῆς Φανερῆς, Apertè, Palàm; ἐν τῷ Φανερῷ; εἰς τὸ Φανερόν. Idem significat Clarus, Celebris, Illustris: Ita virum clarum & illustrem salutari ἀνδρῶς Φανερώτατον, idem ex Synesio annotat: addens, rarum esse hujus Nominis apud veteres Scriptores usum, nisi quòd in N. T. satis crebrò occurrat.

9. Ἄοραται] Nihil hîc notasse refert, nisi quæ de hac voce habet Suidas: Ἄορατος, inquit, πετραχῶς λέγεται, ἢ τὸ κατὰ παρὰ ἀδύνατον ὁραθῆναι, ὅτιον ὡς καὶ τὰ ὑποκείμενα ἄλλη αἰδησίαι. καὶ γὰρ ἢ Φωνὴ ἀορατος, καὶ ἢ ὁσμὴ, καὶ τὰ ὅμοια ἢ τὸ πεφυκός μὲν εἶναι ὁρατόν, μὴ ὁρώμενον δὲ. ὅπερ ἐστὶ τὸ ἐν σερήσαι, ὡς τὸ δυνάμει διαφανές, φωτός μὴ παρόντος. ἢ τὸ ἔτω λεγόμενον ἀορατον, ὡς φαύλως ὁρατόν. τοιοῦτον δὲ ἐστίν, ἢ τὸ δι' ὑπερβολὴν λαμπρότητος Φθαερικὸν τῆς ὀψείας. ἢ τὸ ἀμυδροτήτα μὴ ποιεῖν εἰς τὴν αἰδησιν ἀνιλαμβάνεται, τοίον τῆς ἀορατῆς ἢ ὀψίς, ἢ τῆς μὴ πεφυκότητος ὁραθῆναι. &c. Præclara hæc sunt, & ex Philosophorum Scholis desumpta: quarum acceptionum vocis ἀορατῆς, tertiam esse loco nostro propriam, ex postea dicendis nemini obscurum esse potest.

καθοραεῖν, ἀν] ex ὁραῖν, Cernere, & metaph. Animadvertere, Intelligere; compositum cum præpos. κατὰ, ubi ob sequentem Aspiratam per Apostrophum eliditur α, τ mutato in θ. Et est hæc Particula h. l. ἐπιταπικῆ, significationem intendens, ut καθοραεῖν, probè considerare, καταθῆναι & καταφαγεῖν, devorare. Hujus loco Hebræi habent peculiarem Conjugationem, putà tertiam s. Piel, quâ studium & conamen Verbi Radical. infertur. Significat igitur καθοραῖν, perspicere, attentè considerare, lustrare, ut καθοραεῖν, Perspicax. Usurpatur etiam pro Despicere, s. deorsum videre, ἐξ ὕψους ἀπαντα καθοραῖν. Plut. ibi tamen non est ex Præpos. κατὰ, sed ab Adverb. κάτω, deorsum, infra, quod opponitur τῷ ἄνω, sursum, supra.

11. Ἄιδι] ex αἰεῖ, semper, perpetuò, pro quo dicitur & αἰεῖ & αἰεῖν. Θεοὶ αἰεῖ ὄντες; Θεοὶ αἰεῖν ἔοντες, Xenoph. & Homerus. Aliquando, subaudito Particip. ὄν, signif. Æternus. Ex Eustath. observat Henr. Steph. eum αἰεῖον dixisse qs. ὁ μὴ ἴσον, ἀλλὰ βέβαιον καὶ σάπμον, adeoque α esse privativum, in ipso verò Verbo propter identitatem Instrumenti ζ mutari in θ, quemadmodum

ἔδρα

ἔδρα ab ἔζω. Meritò tamen ille hanc derivationem explodit & mavult illam ab Adverb. αἰς, ut sit pro αἰεδι (sicut in latino Sempiternus à Semper) quâ ratione & apud Hesychium invenitur. Sumitur etiam Αἰδιο substantivè, significans Æternitatem: unde phrasés: ἐξ αἰδίου, ab æterno, εἰς αἰδιον, in æternum.

Θεότης] ab Adject. Θεῖον, divinus, ad DEUM pertinens; hoc rursum à Substant. Θεός. Ex quo patet, hæc Nomina esse denominativa; & quod ad Adject. Θεῖον, imitatur indolem aliorum Nominum mobilium, quæ est, afficere rem aliquam, per modum attributi eidem superaddi, & de eo in concreto prædicari (hinc græcè ἐπιθετον ab addendo & adjiciendo dicitur) unde abstractum Θειότης. In Logicis vocantur Paronyma: Subjectum s. Denominatum h. l. est Θεός; denominativum Θεῖος; forma denominans Θειότης. Et Θεῖον quidem per modum denominativorum, tanquam Conceptus secundus prædicatur de DEO, præcisè secundum essentiam considerato; ab essentia autem re non differt, nisi quòd, uti dictum, de ea παρενύμως prædicatur. Id porrò patescit ex Substant. τὸ Θεῖον, Numen divinum, Natura divina; & redditur sæpè etiam DEUS, sed ita tamen, ut intelligendum sit, non de quolibet DEO, ab ipsis etiam profanis Scriptoribus dici, verùm de eo, quem intelligebant, cum Θεός dicebant quasi καὶ ἐξοχὴν, summum videl. supremumq. DEUM, Steph. Thes. Inde Θειότης, cujus significatio, tum ex his, quæ de Adject. Θεῖον dicta sunt, tum ex infrà adducendis satis constare potest.

Sect. 2. Exegetica.

Cùm multum juvet in Scripturæ Interpretatione Circumstantiarum Textûs diligens consideratio, rem totam ab ovo, quod ajunt, repetemus, eâdem ratione Textûs nostri συνάφειαν & coherentiam ostensuri. Epistolæ προίμιον ita sonat: Paulus servus JESU Christi, vocatus ad munus Apostolicum, ἀφωρισμένον εἰς Ἐυαγγέλιον Θεῶν; quæ verba nos reducunt ad Act. XIII. 2. Postquam enim DEO visum fuerat, hunc Apostolum

ἀφω-

ἀφορῆσαι ab utero matris, & vocare per gratiam suam, Gal. I, 15
 ut esset ipse *σῆς ἐκλογῆς*: jamque eum antè secretò ad hoc
 in itinere ordinàrat, fulgure voceque cælo demissis, Act. IX, 3,
 15. nunc denuò in Concilio Prophetarum ac Doctorum Ecclesiæ
 Antiochenæ solenniter proclamatur, dicens: *ἀφορῆσατε mibi Bar-*
nabam & Saulum in opus ad quod accersivi eos, I. c. Illud suum
 officium non dici potest, in quanto pretio habuerit, hinc illud
 subindè laudat, & quibus potest, modis extollit, Rom. XI, 13. c.
 XV, 16, 17. seqq. Gal. II, 2, 8. I. Tim. I, 11. c. II, 7. II. Tim. I, 11. ad
 quod etiam in ipso hujus Epistolæ exordio se refert, inqviens:
Per quem (Christum) accepimus gratiam, & muneris Apostolici fun-
ctionem, ut obediatur fidei inter omnes gentes: post non multò pro-
 pius ad eos, qui Romæ erant, accedens, v. 14, 15. *Græcis simul &*
Barbaris, eruditis pariter ac rudibus debitor sum. Ita, quantum in me
 14. *est, paratus sum, vobis quoque qui Romæ estis, evangelizare. Quem-*
 admodum verò docentium maximâ Virtus est, ingeniis Audi-
 torum & discipulorum ita se accomodare, ut pro illorum discrimi-
 ne docendi methodum ad uniuscujusque fructum dirigant:
 cum sanè aliter in salutis negotio informandus sit Gentilis,
 aliter Judæus, aliter vicissim aliquâ fidei Christianæ notitiâ jam
 imbutus; ita sapientissimus hic Gentium Doctor, artem hanc, si
 quisquam alius, calluit, quod de seipso non diffitetur alibi, dum
 inquit: *Factus sum iis, qui sub lege sunt, tanquam sim sub lege, ut eos*
qui sub lege sunt, lucrifaciam. His qui sine lege sunt, tanquam sim
sine lege, ut lucrifaciam eos, qui sunt sine lege. Factus sum infirmis,
quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia,
ut omninò aliquos servem. I. Cor. IX, 20, 21, 22. Hinc, cum ipse
 noverit, cum Gentibus sibi rem esse, incipit de eo, quod *καθολικόν*
 irrogenitis æquè ac regenitis erat, differere, hinc doctrinæ
 & institutionis christianæ initium petere, deinde huic præ-
 supposito, instar sapientis architecti reliquum dogmatum suo-
 rum apparatus superstruere. Nec minùs diligens ordinis est
 15. observator; antequam enim ad illum *λογισμὸν* veniret: *Fide ju-*
stificari hominem absque operibus legis, c. III, 28, primùm de lege
 tradit, quæ meritò naturâ & doctrinâ præcedere debebat: & mo-
 ralem quidem s. positivam proximè & immediatè Evangelio præ-

præmittit, quam παιδαγωγον ad Christum esse indicat; morali
 verò vicissim naturalem, quam χειραγωγον esse ad Legem & Ev-
 angelium, DEI verbo patefacta, significat. Quæ ut ideò præ-
 misimus, ut ex Autoris, Auditorum & Textûs congruentia,
 constet, reverâ agere Apostolum in Oraculo nostro de Naturali
 DEI Notitia; ita nunc eandem distinctè etiam, secundum diver-
 sos cognitionis modos, proponere, paritèr ex Textu liquet. Ne-
 que id ex sola commatum intercapedine colligere licet, ut quæ
 discrimen illud saltem oculis manifestiùs objicit: cum aliàs con-
 stet, hodiernâ versiculorû interfectionem in Autographis reper-
 tam non fuisse, quin fit ea inventum hominum non adeò vetus;
 sed prostant argumenta hõc longè validiora, quæ hujus rei fi-
 dem nobis facere possunt. Equidem negari non potest, Patres 16.
 quosdam, ut *Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum,*
Athanasium, Theophylactum, & cum his *B. Wellerum,* versum 19. &
 20. conjunxisse, unius ejusdemque argumenti esse ratos, impri-
 mis propter partic. αἰτιολογικὴν, γὰρ, v. 20. quæ ostendat conne-
 xionem hujus cum præced. v. 19. Nos tamen potius cum *B.*
Chebnitio, Gerhardo, Brochmando, Wilh. Leisero, Dorscheo, Meisnero,
Calovio, &c. salvâ tantorum virorum autoritate, in hoc ab iis
 recedimus, commata hæc duo omni studio distingventes, &
 prius de notitia DEI innata, posteriùs de acquisita exponentes.
 Hujus sui asserti rationes afferunt Theologi modò laudati, 17.
 quas collegit primus *B. Gerhard.* hæc serie: 1. propter universa-
 litatem subjecti, ut ostendit artic. τῶν, qui non est διακρι-
 κός, sed αἰτιολογικός. 2. propter verbum κατέχειν, quod respi-
 cit notitias naturales practicas, quæ potius ad insitam, quàm
 acquisitam notitiam pertinent. 3. propter manifestationem,
 τῆ γνῶσῃ in ipsis. 4. propter explicationem τῆ γνῶσῃ, factam
 v. 18, 25. & 32. 5. propter denegationem excusationis, quæ non
 æquè ex notitia acquisita ac insita suboritur, cum ex creatu-
 rarum intuitu discrimen honestorum & turpium non possit
 directè, per se, & manifestò colligi. Quòd acquisitæ dunta-
 xat notitiæ ratio redditur, ideò fit, quia notitia acquisita ex
 innata efflorescit, eandemque confirmat, *B. Gerb. Exeg. p. 680. sq.*

B

Ad

pretatio Textui planè non conveniat: id quod tum ex prædicatione, tum ex simili ratione vocab. ἀόρατος, v. 20. ubi de acquisita notitia agitur, liquet. Rectius ergò sentiunt, qui dicunt: maluisse Paulum dicere γινώσκον quàm γινώσκον, ut ad nativam impressionem potiùs, quàm ad actum quendam elicitum nos deduceret, *Quenst. Syst. P. 1. p. 256. b.* Secùs autem res comparata est, si γινώσκον non activè, sed passivè accipitur; aut si non pro actu, sed pro habitu supponit: atque tum latinè meliùs effertur, *Notitia* quàm *Cognitio*, Priori modo forsàn intellexit antè memoratus *Estius*, & præter hunc *Ludov. de Dieu*, annotante *Polo*, *Synops. Critic.* veluti τὸ χηρσόν, Rom. II, 4, pro ἡ χηρσότης. Posteriori *B. Meisn. Phil. Sobr. P. 1. p. m. 736.* qui propter sequentia verba, φανερόν ἐν αὐτοῖς, ita concludit tandem: *Fuerunt igitur ista Notitia ipsi menti impressa, atque adeò non notant nudam judicandi δύναμιν, sed potiùs* ἐξίτη, &c. Ita, qui vocabulum hoc explicant, adeò non errant, 21. ut etiam egregiè explicent, & τὸ γινώσκον tum rationem, nempè quòd inexistat homini, tum inessendi modum exprimant. *Vulg. reddidit: Quod notum est.* *Ar. Mont. Notum* absolutè. *Erasmus* magis explicatè: *Id, quod cognosci potest:* Similitèr *Beza, Piscator, &c.* quæ phrasis in respectu ad capacitatem humanæ mentis intelligi debet, nec proindè latiùs, quàm hæc admittit, extendenda. Additum, τὸ θεῶν, quidam, iterum observante *Polo*, pro περὶ τὸ θεῶν dictum censet, ut significet, *Notum s. Notitiam de DEO, vel circa DEUM.* Non tamen opus est, ut stylum Spiritûs S. corrigamus; hæc enim loquendi ratio non isto solum loco deprehenditur, sed plurimis aliis Scripturæ S. per quàm est familiaris. Sunt enim duo Nomina, quorum alterum regitur, & est Genitivi Casûs; quod dupliciter exponi potest, vel quòd denotet causam efficientem, ita ut τὸ γινώσκον τὸ θεῶν, idem sit, ac, quòd à DEO factum est cognoscibile; vel subjectum occupans, s. objectum: quæ expositio magis congruit, & idem dicit, quòd περὶ τὸ θεῶν. Vid. *Glasf. Gramm. S. p. m. 102, 108.* Quid? quòd S. Scriptura habeat γινώσκον θεῶν, ut *Sap. XIV., 22. 2. Cor. X, 5. Phil. III, 8. 2. Petr. III, 18.* quòd tamen Nomen passivè sumptum, coincidere cum nostro γινώσκον, paulò antè ostensum est. Non possum hinc 22.

non commemorare de translatione horum verborum german. B. Lutheri, cujus cæteroqvi Versio, adversariorum etiam suffragio, palmam omnibus aliis ambiguum facit, hæc ita habet: *Das man weiß/ daß GOTT sey/ &c.* Megalander beatissimus in opere translationis S. Bibliorum sectatus maximè est munditiam & puritatem nostræ vernaculæ, utqve Idiotismos & modos loqvendi lingvis Originalibus proprios quâ posset perspicuitate exprimeret, sedulò curavit, præprimis, cum id non secus exigere officium Interpretis & Paraphrastæ videret. In præsentem autem loco non tulit german. lingvæ idioma, vocem græcam ad verbum transferre, sic enim barbara & horrida evafisset locutio; sed tam cautè egit, eamqve circumspèctionem adhibuit, ut meritò mireris Viri ἀκρίβειαν, siquidem verba tam sapientè moderatus est, ut simul esse explicationis loco possint: dum iisdem videtur primò quidem & principalitèr existentiam divini Numinis, secundariò autem ejus essentiam cum attributis essentialibus exprimere voluisse: id persuadere alicui potest phrasis german. quam non ita informavit, daß ein GOTT sey/ uti quidem v. 21, quâ sine dubio præcisè solam DEI existentiam significasset; sed quasi duplicato vocabulo, Deus, dixisset: daß Gott Gott sey; id est, quòd habeat proprietates θεοπρόπριος & suæ essentiæ convenientes, inclusâ tamen simul ejus existentiam: Juxta primam explicationem, Verbum Substant. EST foret secundi, juxta alteram verò tertii Adjecti. Quam utramqve expositionem adæquatam esse, & cum ea apprimè convenire, quæ paulò post suppedabitur, progressus docebit. Antequàm verò eò deveniamus, proderit, in vocabulum τὸ γινώσκον intimiùs penetrare: in qua re viam nobis aperit Job. Coccej. Comment. in h. l. nim. γινώσκον oppositum est τῷ μυστηρίῳ, cui repugnat. φανερόν s. manifestum esse. Et sunt quædam DEI, quæ nec cognosci, nec revelari possunt, quorum respectu DEUS est ἀγνώστος. Quædam autem DEI cognosci possunt; eaqve partim sunt mysteria, & per revelationem, per auditum & fidem cognoscuntur: partim citra revelationem. Quoad primum, neutiqvam poterat cognoscere Moses vias Domini, & faciem ejus videre, licèt hoc anxie à DEO peteret. Exod.

Exod. XXXIII, 13, 20. *Lucem habitat inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest.* I. Tim. VI, 16. Jud. XIII, 18. Ejusmodi, de quibus in hac vita nullo modo nobis constat, plurima sunt; v. g. In mysterio SS. Trinitatis characteres Personarum, generatio activa Patris, generatio passiva Filii, Processio Spiritus S. In quorum consideratione merito exclamamus: *O profunditatem divitiarum, & sapientia & cognitionis DEI! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viae ejus, &c.* Rom. XI, 33. *Verè tu DEUS abscondens te, DEUS Israel, Salvator!* Esa. XLV, 15. Job. XXXVI, 26. Talia mirari, non rimari decet; sunt enim ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ἢ ὑπὲρ πᾶσαν κατὰληψιν, dicente Just. Mart. Item gloria & beatitudo caelorum, quam oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, &c. Esa. LXIV, 4. I. Cor. II, 9. Hæc atque ejusmodi sibi soli reservavit DEUS, & reservavit nobis ad futuram beatitudinem; *Cernimus enim nunc per speculum in enigmate, tunc autem à facie ad faciem; nunc cognosco ex parte.* I. Cor. XIII, 12. Alia sunt saltem ἀγνωστα naturæ, quod in Scripturis N. T. perhibetur de æterno & omnia secula antecedente decreto divino, de mittendo in tempore Filio in carnem, & de prædicando, per totum terrarum orbem, Evangelio; dicitur enim *μυστήριον χρόνιοις αἰωίοις σσιγημένον ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ Θεῷ.* Eph. III, 9. Col. I, 26. *σοφία Θεῶ ἐν μυστηρίῳ ἢ ἀποκρυφωμένη, quam præstiterat Deus ante secula in gloriam nostram; quam nemo Principum seculi hujus cognovit; nam, si cognovissent, haudquaquam Dominum gloria crucifixissent.* I. Cor. II, 7. 8. Hoc itaque statò & definito tempore debebat ἀποκαλύπτεσθαι. Rom. XVI, 25, 26. Eph. I, 9. c. III, 8, 9, 10, 11. Col. I, 26. I. Cor. I, 21. c. II, 10. Similitèr plura sunt, quibus investigandis ratio humana nihil valet; quorum Catalogum texit B. Hutter. *Loc. de Lege Nat. p. 384 seq.* Illa tamen nôsse, nobis datum est, Luc. VIII, 10. c. X, 22. Joh. I, 18. adeòque & ipsa sunt cognoscibilia. Hæc ad Observationis secundum membrum. Tandem, quod tertio loco positum est, huc imprimis pertinet: & est illud propriè γνωστὸν, quod propter eà ἐμφατικῶς dicit B. Gerhard. *Annot. h. l. Multa enim sunt divina mysteria, quæ sunt mere revelationis ac pure fidei, quæ naturali men-*

25. *tis lumine & acumine non possunt attingi.* Jac. Laurentius, in Paulo
δυσνοήτω, ut vocabulum hoc rectè exprimeret, exposuit: quantum
 homo sine DEI verbo ex natura de DEO scire potest. Est igitur hoc
γνωσόν tale, quod naturâ, per se, & sine accedente informatione
 nobis constat; quod cum creatione accepisse hominem, testatur
 Syrac. c. XVII, 5. Equidem sunt in Scriptura S. vestigia quæ-
 dam, quæ persuadere cuidam possent, esse DEUM quibusdam
 etiam naturaliter ἀγνωστον, ut Ps. LXXIX, 6. *Gentes, quæ non nove-
 runt te.* Sap. XV, 11. *Ignoravit qui finxit se, & qui inspiravit illi ani-
 mam quæ operatur, & qui insufflavit Spiritum vitalem:* quomodo &
 Act. XVII, 23. legimus, Athenienses aram posuisse ἀγνώστῳ θεῷ.
 Sed videntur tantum id persuadere, re verâ autem nihil persua-
 dent. Quemadmodum enim ultimum præcipuè locum latè di-
 duxit in aliis Seb. Schmidt. Colleg. bibl. poster. p. 24. sq. ita, si eadem
 dexteritate reliqua etiam exponerentur, de similibus idem
 erit iudicium. Nunc ad locum nostrum propius accedamus,
 in quo de θεῷ γνωσῶν s. de γνωσῶν τῷ θεῷ agitur; cuius cognata
 occurrunt in hoc Cap. sapius, v. g. γνόντες τὸν θεόν v. 21. τὸν θεόν
 26. εἶχεν ἐν ἐπιγνώσει, v. 28. τὸ δικάσιμα τῷ θεῷ ἐπιγιόντες, v. 32. Qui
 de voce hac commentantur, in eo conveniunt maximè, quod
 illam è Contextu explicant, quamvis non omnes eodem modo.
 B. Hutt. Loc. p. 384. ex vers. 18. & 32. exponit, & restringit ad hæc
 duo: ἀλήθειαν, veritatem, & τὸ δικάσιμα τῷ θεῷ, Jus DEI. Quæ
 ita distingvit, ut prius ad Notitiam de Essentia DEI referat; po-
 sterior ad Notitiam de voluntate DEI. B. Calov. Syst. T. 2. p. 26.
 Syn. Contr. p. 66, ut & B. Quenst. Syst. l. c. τὸ γνωσόν per totum
 Textum Apostol. quoad ille de Notitia naturali agit, extendunt:
 eoqve referunt 1. Deum esse. 2. Deum creatorem mundi esse. 3. poten-
 tiam Dei æternam. 4. eternitatem Dei. 5. invisibilem ejus divinitatem.
 6. Deum ab omnibus corruptilibus creaturis distinctissimum esse. 7. Deum
 glorificandum esse ut Deum. 8. Deum remuneratorem boni, & malum vin-
 dicem esse. Alii, in quibus B. Gerb. Exeg. p. 685. ex vers. sq. 20. de-
 clarant, per τὸ γνωσόν intelligentes αἰδίων δυνάμιν καὶ θεϊότητά.
 Quamcunqve datarum explicationum seqvaris, est illa proximè
 è Contextu desumpta: remotior aliundè petenda est, quam ma-
 27. gis distinctè proponere licebit. Constat unaquæqve Religio
 vel

vel cultus s. propriè s. impropriè talis, imprimis duobus: credendis, s. cognoscendis specialitèr dictis, & agendis. Illa considerant DEUM secundum se, tanquam S. B. *αὐταρκής*, sibi soli sufficiens, vel, ut ille naturam divinam describit, quæ sit

Ipsa suis pollens opibus, non indiga nostris.

Hæc considerant eum ad nos relatum, tanquam S. B. *κοινωνικόν* & sui communicativum hominibus, *ὀρθολιπὸν*, ab omnibus appetibile, & *προαίτιον*, bonis actionibus impetrabile. Priori modo consideratur DEUS vel secundum existentiam, vel secundum essentiam. Secundum Existentiam dicitur habere realissimos essendi actus, & in infinitum distare à non-ente, actualitatis nihil quicquam habente. Cum autem hic communis saltem & quasi confusus essendi actus sit; hinc cognitio quodammodo discreta est Essentiæ: secundum quam intrinsecè cognoscitur, quoad conceptum quidditativum; & quidem tum communem, qui est Spiritualitas, tum proprium, quem absolvunt Attribute essentialia; eaque vel *ἀνεξαρτησία*, ut Independentia, Perfectio, Unitas, &c. vel *ὀντογνωσία*, ut Omniscientia, Omnisapientia, Sanctitas, &c. Quò referri etiam possunt Operationes divinæ, quæ tamen Essentiam divinam non ingrediuntur, sed ex ea procedunt potius & fluunt: hinc ad τὸ γνωστὸν τῆ θεῶν directè non pertinent, ut quod facta sui mentione, adæquatè ea saltem, quæ DEO insunt, complectitur; testantur tamen de eo, & illum notificant. Posteriori modo cognoscimus DEUM, secundum Vo-28. luntatem ejus legalem, juxta quam colitur vel immediatè & directè, cultu religioso, & ad celebrationem sui nominis composito; vel mediatè & indirectè per officia Proximo præstita. *Meissn. Phil. Sobr. P. I, p. m. 739*, DEUM cognosci ostendit, tum ratione sui *esse*, tum ratione sui *velle*, tum ratione sui *operari*, non alio, quam à nobis indicatum, modo. Tale γνωστὸν includunt his Regulis s. Principiis naturalibus, quæ propterea naturâ nota & cognita appellant: DEUS est: DEUS est colendus: Parentes sunt honorandi: Nemo lædendus: Suum cuiq; tribuendum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Ad ea igitur, quæ hæcenus recitata sunt, quemadmodum quæ de DEO naturali-

turalitèr nobis constant, omnia referri facilè possunt: ita sedulò cavendum, ne à Theologia naturali in revelatam committat, μεταβάσιν, quisquis præsumeret, illius fines justò latius extendere, eiqve adeò vendicare, quòd revelatæ deberi, saniores sententiæ concluderent.

29. Φανερόν ἐστὶν ἐν αὐτοῖς] Φανερῶν non planè coincidit cum ἀποκαλύπτειν; hoc enim significat propriè *revelare, detegere*, quasi sublato & detracto velamine vel tegmine conspiciendum præbere: Præsupponit igitur *Obvelationem, Integumentum*, ut constat ex II. Cor. III, 13, 14, 15, 16. c. IV, 3 hinc Ἀποκάλυψις S. Johannis Theologi dicitur, non solùm, quòd ei DEUS palàm faceret, quæ oporteat fieri, sed & involucra visionum & apparitionum detegeret, earumqve significationem declararet. Hæc oppositio patet ex Matth. X, 26. Luc. XII, 2. εἰδὲν ἐστὶν κρυπτόμενον, ὃ ἔτι ἀποκαλυφθήσεται. Subjicitur verò & statim ἐναντία τῷ Φανερῷ & τῷ κρυπτῷ vel ἀποκρύφῳ: καὶ κρυπτόν, ὃ ἔτι γνωθήσεται. Οὐ γάρ ἐστι κρυπτόν, ὃ ἔτι Φανερόν γενήσεται: ἔτι δὲ ἀποκρυφόν, ὃ ἔτι γνωθήσεται, καὶ εἰς Φανερόν ἔλθῃ Luc. VIII, 17. Proinde τὸ Φανερόν significat *manifestum, notorium*; de quo inter omnes constat, quod in propatulo est, nec occultari potest: quâ ratione idem est cum nomine δῆλον, ὃ π, &c. à quo verbum δηλώω, *in lucem profero*. I. Cor. III, 13, & alibi.

30. Quamvis autem discrimen assignatum inter τὸ Φανερόν & ἀποκαλυμμένον S. Scripturæ semper & ubiqve non attendatur, voce Φανερῶς quandoqve non εἰδικῶς, sed γενικῶς acceptâ, tamen h. l. maximè necessaria videbatur hæc annotatio: utpotè quam nec præterire voluit *Estius Comment. h. l.* dum observat: non dicere Apostolum: *Revelavit*, quasi infusò lumine; sed *manifestavit*. i. e. manifestò & evidenter cognoscere fecit, sc. per lumen naturæ. Additur verò

ἐν αὐτοῖς] Quod multò magis indicat, loqui Apostolum de Notitia Infira & interna; neque enim dicit, *Inter ipsos*, quod de disputationibus & cognitione experimentalì posset intelligi; sed *in ipsis*, i. e. in ipsorum Cordibus. *Gerb. Exeg. p. 681.* quomodo explicant etiam Beza & Paræus, qui utuntur Præpos. *Intra*.
Erasmus

Erasmus, Vatablus, Grotius exponunt *Inter illos, & Apud illos*; Coccejo tamen, l. c. nulla harum Particularum arridet. Jac. Laurent. in Paulo *δοσν.* contra Pererium, non redundare Præposit. *ἐν*, asserit; sed idem valere, quod in ipsorum animis, & quasi intra eos, in intimis mentis penetralibus, s. ut Hieron. b. l. in conscientiis ipsorum. Quarum Explicationum ea imprimis amplectenda est, quæ omnium maximè convenit cum loco huic verè parallelo, Rom. II, 15. ubi verba hæc, *Φανερόν ἐν αὐτοῖς*, exponuntur phrasi: *ἐνδείξαι τὸ ἔργον τῆ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις*. Etsi autem hæc intelligi debere de lege morali & Notitiis practicis, quibusdam dici possint, & provocari ad institutum & intentionem Apostoli: quomodo & Estius, Comment. ad Cap. II. interpretatus est, secutus in eo Augustin. Origenem, Ambrosium, &c. attamen eadem ratio est principiorum theoreticorum, quæ ad νόμον ἐν καρδίαις γραπτὸν rectissimè referuntur: quod ostendit B. Calov. Syst. T. 2. p. 28. concludens à complexu & latitudine Legis Naturæ, ad quam pertineat potissimum Instinctus de dilectione & cultu DEI, qui nullus esse possit, si nulla sit de DEO notitia natura impressa, &c. Utrobique autem intelligitur Anima cum potentiis suis, quæ in Scripturis voce Cordis effertur, ut Deut. VI, 5. Matth. XV, 19 c. XXII. 37. Calov. Theol. Rom. Apost. Orac. 20. Prætereà ex eodem hoc loco per τὸ γραπτὸν, τὸ Φανερόν egregiè illustratur: ita enim significatur tenax firmaq; Implantatio Legis insitæ, ejus Perpetuitas & Durabilitas, ut & continua coram mente obversatio & representatio; nam, ut communi proverbio dicitur, litera scripta manet: quare nullâ prorsus ratione, sive atate, sive malis aut animam aut corpus affligentibus, sive feritate spontè attractâ obliterari, sive casu quocunqve alio stirpitùs eradicari vel evelli poterit. Atque sic legem suam scripto consignare, nullo non tempore DEO visum fuit: ex quo patet, eò minorem dubitationi locum relinqui, utrum sine lege divinitùs tradita unquam homines fuerint? nam, si suo modo scriptam semper habuerunt, certè nec eâ quocunqve modo promulgatâ destituti fuere. Postquam igitur DEUS in prima statim creatione Legem cordibus hominum inscripserat, denuò eam tabulis lapideis insculpere &

solennitèr in monte Sina publicare voluit, ut adeò non in mente solum hæreret, sed oculis etiam objiceretur, quò unicè eò respicerent, nec illius memoriam unquam deponerent. (Vide hîc convenientiam & collationem legis naturæ cum morali, demonstratam à B. Chemnit. *Loc. de Lege C. 6.*) Similis admonitio est Salomonis, Prov. III, 3. *Fili mi, legis meæ ne obliviscaris, & præcepta meæ custodiat cor tuum. Liga ea in gutture tuo: scribe ea in tabula cordis tui; item c. VI, 20, 21, 22. Conserva, fili mi, præceptum patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: Liga ea in corde tuo semper, liga ea in gutture tuo: cum ambulaveris, ducas tecum: cum dormieris, custodias tibi, & cum expergefactus fueris, ipsa alloquetur te.* Eò tendebat etiam mandatum Israelitis factum, ut facerent sibi fimbriam in angulis vestimentorum suorum, ut viderent eam, & recordarentur omnium præceptorum divinorum. Num. XV, 38, 39, 33. *Erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo. Et repetes ea filiis tuis, & loqueris in eis, quando sedebis in domo tua, & quando ambulabis per viam, & quando accumbes, & quando surges. Et ligabis ea in signum in manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos. Et scribes ea in postibus domus tuæ, & in portis tuis.* Deut. VI, 6. seqq. c. XI, 18, seqq. Exaggeratio est peccati firmitèr in hærentis, & descriptio obdurationis Jer. XVII, 1. *Peccatum Judæ scriptum est quasi stylo ferreo, & ungue adamantino, sculptum in tabula cordis.* De Renovatione & donatione virium spiritualium dicitur Jer. XXXI, 33. *Dabo legem meam in interiori eorum, & in corde eorum scribam eam,* Ebr. VIII, 10. Simili ratione loquendi utitur Apostolus alibi: *Estis epistola Christi, subministrata à nobis, inscripta non atramento, sed Spiritu DEI viventis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.* II. Cor. III, 3. Fundamentum hujus scriptionis est præscriptio illa Christi crucifixi ob oculos, de qua Gal. III, 1. & ὁ νόμος ἡμετέρος, exemplar scriptionis, à Christo nobis relictum. 34. I. Petr. II, 21. *Glasf. Rhet. S. p. 382.* Sed quid multis claritatem & evidentiam Luminis naturæ nitimur asserere, quam unusquisque, qui intra sese descenderit, animumque ipse exploraverit, experiri & tantum non palpare manibus potest: nec id minus incogitantia foret, quam Soli suum lumen, licet illud nemo facile

facile in dubium vocaverit, cum quantacunque contentione vindicare velle. Quamvis autem hæc Lux non rarò caligine obducatur, ut quandoque etiam deficere appareat: tamen id non fit, nisi *συμβεβηκότως* & ex accidenti, in quibusdam hominibus. Habemus thesaurum hunc in testaceis valculis II. Cor. IV, 7, ac præterea ejus tanta vis est, ut planè extingvi nequeat, sed invitis etiam, contranitentibus ac repugnantibus obrepat; & tandem omnes illas eclipses feliciter eluctetur. Hic Sol cordi, tanquam vortici suo infixus, & veluti Sydus adeò nautis auspiciatum, tenebras impietatis dissipat, & fulgore suo caliginem ignorantia, quam nobis lapsus attulerat, dispellit. Est nobis Helice aut Cynosura quæpiam, ad quam universus navigationis nostræ cursus dirigatur. Est Stella ducens, quæ nos manu prehensos ad hujus universi Creatorem & opificem DEUM, deducit. Est 35. ignis ille cœlestis, à cœlo in terras delatus, unde ansam suæ fabulæ Poëtæ nacti sunt. Est ignis ille sacer & perpetuus, in arca cordis accensus, & sursum ad DEUM tendens; quem nunquam extingvi oportebat, Lev. VI, 12, 13, & quicquid præterea huic rei illustrandæ inservire potest.

Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτῆς] Quamvis supra evictum sit, Versus in Textu distinctos, distinctos etiam *θεογνωσίας* modos continere; nihilo tamen minùs constat sua particula, *γὰρ*, vis & significatio, eaque *συνδυαστικῆ*: conjungit enim imprimis *τὰ ἀόρατα καὶ θόρατα*, cum præcedente nomine, *Φανερόν*: quod per sequentia magis declaratur. Equidem *τὰ ὄρατα* sunt, quæ videri possunt, suntque manifesta & aperta, veluti quæ propriè & per organa oculorum corporea percipiuntur: quæque paritèr ac cætera sensibilia certitudine suâ faciunt, ut Principiis in Philosophia annumerentur: Ac DEUS imprimis intuetur omnia clarissimè, & modo eminentissimo: *Nec enim est ulla creatura, quæ non manifesta sit in conspectu illius, sed omnia nuda & resupinata oculis ejus.* Ebr. IV, 13. Verùm *τὰ ἀόρατα* visibilitatem negant: & in Syriaco reperitur *ܣܝܠܐܘܬܐ*, Occulta, abscondita, à Rad. *ܠܘܘܬܐ*, Latuit, quæ in Ethp. habet *ለወገ*, Aperuit; & legitur Matth.



Matth. VI, 29. Nomen autem in Singul. ibid. v. 4. In Plur. præter alia loca Rom. II, 16. Eodem sensu Græcum LXX usurpant de *thesauris absconditis*, Esa. XLV, 3. Et est omnino, nisi accedat spontanea DEI Φανερωσις, non ipse solum ἀίθερος, sed & omnia quæ in eo sunt: *DEUS inconspicuis*, Col. I, 15. *Rex invisibilis*, I. Tim. I, 17. c. VI, 16. Joh. I, 18. c. VI, 46. I. Joh. IV, 12. *nam, quæ videntur, temporaria sunt, at quæ non videntur, æterna*, II. Cor. IV. 18. Huc pertinent quæ paulò antè de τῷ γνωστῷ & τῷ ἀγνωστῷ adduximus; tum quæ etiam ad Vocab. Ἄθερα in Sect. I. Philol. ex Suida. Jam ad ea verba transimus, quæ καὶ ἐπεξηγήσιν nomini modò declarato adjecta sunt, & illud, tanquam quod generalitèr saltem Objectum γνωστῷ significet, exponunt. Id indicat Partic.

Ἡτε] Explanativa, æquè ac distributiva.

Ἄιδιος αὐτῷ δύναιμι καὶ θεϊότης] Memorat *Estius, Comment. h. l.* Theophylactum reprehendere Patrum quempiam, qui per *Potentiam Sempiternam* intellexerit Filium; per *Divinitatem* a. Spiritum S. Similitèr de Ambrosio, Cyrillo, Anselmo tradit *Cornel. à Lap. Comment. h. l. p. 38.* eos *Invisibilia* retulisse ad Patrem invisibilem; *Virtutem* ad DE I Filium (Esa. IX, 6.) *Divinitatem* ad Spiritum S. ceu divinam bonitatem. Quamvis autem hæc accommodatio quædam pia sit, & in se nihil vitii habeat; tamen h. l. planè est ἀτοπος, ubi Objectum θεογνωσίας naturalis saltem DEUS est absolutè consideratus, non quæ relativè & in Personis trinus. Itaque constantèr docent: *Invisibilia DEI esse illius attributa spiritualia*, ut esse æternum, omniscium, optimum, maximum, &c. Ratio verò, cur horum tantum duorum attributorum mentio fiat, facillè cognoscitur hæc esse, quòd alterum quidem in creatis operibus se potissimum exeruit; alterum verò communitate suâ plurima alia includit: de quo paulò pòst. Aliqui ex Textu faciunt tria attributa, τὸ αἰδιον à Substantivis suis divellentes; quemadmodum videtur *Estius Comment.* facere, recensens *Sempiternitatem, Potentiam, & Divinitatē*; ratione additâ, esse illam non minùs attributum DEI, formalitèr à reliquis distinctum, quàm duo altera, & prætereà, *cujus virtus sempiterna est.*

est, id ipsum quoque sempiternum esse. Corrigit se tamen non multo post, dum scribit: Epitheton, Sempiterna, posse etiam ad Divinitatem extendi: ut sit vera Deitatis significatio, quæ utique vera non est, nisi sit æterna; quod proinde dictum videatur ad differentiam falsæ divinitatis attributa multitudini Deorum gentilium. Tria etiam attributa elicere Cajetanum & Pererium, meminit Jac. Laurent. in Paulo *δυσ.* ita tandem rem definiens: non esse aliter distinguendum, quàm ipse distinxit Apostolus, ponens distinctè duo tantum: Potentiam & Divinitatem, quàm utramque æternam vocat, tum, quia DEUS essentiâ suâ est æternus, & omnia attributa DEI sunt in DEO ipse DEUS; tum etiam, quia utraqve est ante omnes res creatas. Quomodo & sentiunt communiter Nostrates.

Θεότης] Qui egregium hunc locum hæresi suæ ê diametro^{38.} adversum quâ singula ejus verba planè impiâ ratione *ερεβλῆσιν*, illi etiam huic vocabulo parcere nolunt: Hinc, ut singularem ejus significationem eludant, non esse aliud dictitant, quàm, vocem *Θεότης*: cujus gratiâ ad unum ferè omnes provocare ad Col. I, 9, consueverunt. Verùm nos hæc duo summo studio, & rectè quidem distingvimus; à qua sententia, nec ex ipso Calvinianorum medio quidam dissentire potuerunt, ut Beza, Piscator, Estius, &c. eamque observationem non esse de nihilo, asserit Gerb. Annot. h. l. Poterat autem discrimen aliquo modo jam ex antecedente Sectione constare; ut multò faciant rectius modo enumerati, quibus accensendus etiam est Erasmus, qui & ipse Divinitatis, quàm Deitatis nomine in Versione uti maluit. Et testis est Jac. Laurent. l. c. in translatione Cimbrica s. Belgica, eaque revisa, legi vocab. *Goddelicheit*/ cum vetus habuerit, *Godheyt*. Quò verò nunc ulterius Commentatorum de hac re^{39.} sententiam pernoscamus, primò prodeat Estius, qui in *Comm. Divinitatis*, inquit, vocabulo, videtur Apostolus, ne longam texeret seriem idiomatum divinatorum, voluisse comprehendere cætera, quæ audito DEI nomine statim in animum cadere solent. Huic consonant, quæ scribit Ragerus, *Exeg. Epist. ad Rom. P. 3.* Postquàm enim adduxerat aliorum de discrimine Deitatis & Divinitatis opinionem, qui dicant: *Θεότητα* esse ipsam essentiam divinam absolutè consideratam,

cum præcisione communicationis; $\Theta\epsilon\iota\acute{o}\tau\eta\varsigma$ verò dona esse à DEO communicata, adeoq; differre, ut causam & effecta: mox subjicit: Illam distinctionem hic non attendi; Concludit ergo sic: *Nomine Divinitatis tutissimè intelligitur complexio omnium Idiomatum essentialium, quæ propriè de DEO dicuntur: eiq; tribuenda dicimus, ubi cogitationem nostram subit nomen DEI, adeoq; ipsa natura DEI incomprehensibilis, ex attributis ejus utcumq; perceptibilis.* Joh. Coccejus *Comment. b. l. per Divinitatem intelligit tum DEI excellentiam, quam postea, $\delta\iota\ \xi\alpha\nu$ gloriam, appellat, v. 23; tum virtutes ejus & decentias;*

40 *tum relationes, quæ sunt inter Creatorè & Creaturam.* Sebast. Schmidt. *Coll. bibl. post. p. 36, $\Theta\epsilon\iota\acute{o}\tau\eta\varsigma$ vocat aliquid de Essentia & Attributis divinis, idemque esse, quod Act. XVII, 29. dicitur vocabulo concretivo $\tau\acute{o}\ \Theta\epsilon\iota\acute{o}\nu$, de quo in Sect. antec. quod Erasmus vertit: Numen; Vulg. Divinum; Luth. germanicè eodem vocabulo abstractivo, quo in præsentì utitur. Piscator & Pareus, secuti Theophylactum, *Majestatem* exponunt. In aliis placet accurata observatio B. Welleri, *Annot. b. l.* hæc duo ita distinguentis, quòd $\Theta\epsilon\iota\acute{o}\tau\eta\varsigma$ primò $\tau\acute{o}\ \tau\acute{i}\ \epsilon\sigma\tau\acute{i}$ s. *essentiam, & connotativè attributa notet; $\Theta\epsilon\iota\acute{o}\tau\eta\varsigma$ attributa divina, & connotativè $\tau\acute{o}\ \delta\epsilon\upsilon$, DEUM esse.* Nec parum lucis affert locus Sap. XVIII, 9, qui alter est in toto sacro codice, in quo idem vocabulum reperias: adhibetur verò in constructione cum nomine, in casu obliquo, vel in statu constructo, ut vocant; dicitur enim $\tau\eta\varsigma\ \Theta\epsilon\iota\acute{o}\tau\eta\tau\omicron\varsigma\ \nu\omicron\upsilon\lambda\omicron\varsigma$, *divinitatis lex,* phrasi à Hebræis mutuata, per quam illic imperium denotatur.*

41. *Vid. B. Calov. Bibl. Illustr. ad hanc vocem.* Quanquam igitur consentiant enumerata Interpretum sententiæ omnes, significare $\tau\acute{o}\nu\ \Theta\epsilon\iota\acute{o}\tau\eta\varsigma$ certò aliquod DEI attributum, idioma vel axioma; non tamen est de numero eorum, quæ communiter recensere vel Philosophi Theologiam naturalem tractantes, vel Theologi DEUM absolutè secundum essentiam considerantes solent, horum enim nullus aliquam *Divinitatis* mentionem injicit: neq; etiam cum reliquis convenit conceptu generico, vel à iis tanquàm à paribus differt formali s. specifico: Et illo quidem non convenit, cum non sit veri nominis attributum, nec enim virtualiter procedit à essentia divina, & huic tanquàm principio suo

sub-

substat, quæ ratio est attributorum propriè talium, sed essentiam saltem per propriam suam quidditatem, tanquam tamen epitheton aliquod, afficit & denominat; Nec per formalem differt, quod tum ex eo patet, quòd communi non convenit, tum quòd entis complexi quale hoc est, nullum datur formale, nulla differentia specifica propriè loquendo. Est enim potius potestate omne attributum, s. complexio omnium attributorum, vel est ipsum attributum DEI formalitèr, ut sic, quod instar totius analogi omnia alia attributa DEI propriè talia sub se complectitur. Cujusmodi generali & veluti confuso vocabulo uti, scopo Apostoli planè conveniebat, utpotè quâ exprimere generalem saltem DEI cognitionem naturâ perceptibilem, animus erat. Quamvis autem dictâ ratione Θεότης distingvatur à Θεότητι, minimè tamen recedim⁹ à constanti sanorum Theologorū doctrina: attributa divina, quæ traduntur, multòque magis Divinitatem cum essentia & Deitate, quoad rem unum idemque esse: ut meritò abhorreamus à nefando dogmate Gilberti Porretani, Episcopi Pictaviens. cujus etiam ex Bernhardo meminit B. Carol. Syst. T. 2, p. 222, eum, cum subtilitèr ad Philosophiæ Aristot. præcepta Theologicas causas exigeret, dubitâsse, utrum rectè dicatur, *Divinam essentiam esse DEUM: Proprietates Personarum esse ipsas Personas: Divinitate DEUM esse DEUM, Divinitatem tamen non esse DEUM.* Damnatus est ab Eugenio & Bernhardo, Synodo imprimis Rhemenfi.

Ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι] In his etiam Verbis exponendis non satis convenit inter nos & adversarios. Hi enim unanimè intelligunt de tempore, ut sit sensus: *ab initio creationis mundi, s. à fundamentis mundi: illa referentes ad præcedens ἀρχαῖ:* in qua explicatione se sequi gloriantur Augustinum, Tertullianum, ut & Syrum Interpretem. Similitèr statuere Calvinianorum plurimos, testatur Polus, Syn. Crit. Rationes collegit Jac. Laurent. in Paulo δύον. quas, ut ordine possimus diluere, huc adscribere non pigebit: 1. quia in græco non est ἐκ, sed ἀπὸ, quæ vocula Ἔ originem Ἔ durationis initium significat. 2. quia in expositione ista altera manifesta videtur statui tautologia. 3. quia per

con-

consequens illud, ἀπὸ κτίσεως, non potest appositivè connecti cum τοῖς ποιήμασι, propter diversos casus. 4. quia phrasis ἀπὸ κατὰ βολῆς κόσμος eundem planè habet sensum, ut videre est Matth. XIII. v. 35. Sc. 5. propter Autorum, qui hanc expositionem sequuntur, tum auctoritatem, tum etiam pluralitatem. Secùs judicant Theologi nostri, verba recitata de objecto καθοράσεως explicantes, nec proinde aliò, quàm ad verbum καθοράται, reducentes: in quo vestigia legunt S. Chrysofomi, Patrum Coryphæi. Et possemus Calvinianis suam expositionem non ægrè largiri, dummodò ad labefactandam Loci hujus vim ad probandas notitias naturales, & ad patrocinandum Socinianis non esset excogitata, imprimis, quòd stante illà, Textui sua integritas nihilominus constaret.

44 Ne tamen cuiquam de causa nostra quicquam cedere videamur, argumenta, eà quæ adducta serie sunt, confutabimus. Ad 1. Resp. parùm abesse, quin linguæ græcæ imperitiam arguat, Præpos. ἀπὸ saltem per ἀ vel ἀβ explicare velle; aliud enim tum ex græcis Scriptoribus, tum ex Scriptura S. ejusque Concordantiis liquet: quippè docet *Erasm. Schmidt.* in ταμείω, sæpiùs adhiberi pro ἐκ, v. g. Matth. VII, 4. Luc. XXII, 71. Act. XVII, 2. Apoc. XIV, 4. &c. uti vicissim ἐκ significat ἀ, ἀβ. Prætereà demus, ἀπὸ significare h. l. ἀ, ἀβ, non tamen præcisè terminum temporis à quo denotaret: sed æquè posset terminum cognitionis à quo, s. objectum indicare, ut Matth. VII, 16. c. XXIV, 32. Marc. XIII, 28. Sap. XIII, 4. Ebr. V, 8. Eamque significationem ipsi ferè propriam esse, quando de haurienda cognitione usurpatur, commodè annotat *Gerh. Exeg. p. 684.* Ad 2. Nullum hinc periculum ταυτολογίας est; vel enim duo hæc sejungenda sunt, ut utrumque à peculiari Verbo suo, nempe ἀπὸ κτίσεως κόσμος à verbo νοόμενα; & τοῖς ποιήμασι à καθοράται regatur, aut vicissim; vel ea κατ' ἐπεξήγησιν, melioris intelligentiæ gratià conjuncta esse dicenda sunt, quod frequens est in Scriptura S. quam

45 propterea ταυτολογίσειν, minimè pium foret dicere. Ad 3. Mirum, Adversarios hanc inscitiam pueris dignam, de nobis suspicari, quasi connecteremus vocab. κτίσεως cum nom. ποιημάτων; Poterant enim de facili intelligere, nos illud construere cum verbo

verbo καθορᾶται. Ad 4. Phrasin, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, cum hac
 unam & eandem esse, negamus; temporis enim initium non
 infert Præpos. ἀπὸ, sed nomen καταβολή: vocabul. autem κτίσεως,
 ecquam rationem principii habeat, nemo divinare poterit. Pro-
 inde tūm demūm temporis exordium denotat, cum ei addi-
 tum est nomen ἀρχῆς, ut Marc. X, 6, c. XIII, 19. 2. Petr. III, 4.
 Ad 5. Patrum nominatorum autoritas h. l. planè ἀτόπως addu-
 citur. Quamvis enim alibi momentum aliquod afferre possit,
 in hoc tamen negotio nihil quicquam efficit: quod enim ad
 Augustinum, sunt illius opera digna, ut pretio, quo aliis cujus-
 cunque ē Patrum choro habeantur; verūm ad decidendas res
 philologicas, in aliis, extra latinam, lingvis, injustè & citra ipsius
 mentem pertrahuntur: cūm inter omnes satis constet, eum O-
 rientalium æquè ac græcæ lingvarū, aut nullam, aut non omninò
 exquisitam notitiam habuisse. Et, si quidem simili argumento
 à suffragio antiquitatis uti voluerimus, sanè rem totam expe-
 diremus uno Chrysofomo, Patre græco, & ad definiendas in
 sua lingua difficultates aptissimo. Quod verò ad argumentum
 attinet, in quo non minimum suæ causæ præsidium quærunt,
 petitum à Paraphrasi Syriaca; ad illud etiam reponemus quædam:
 Vocab. in ea reperitur, $\sigma\iota\Delta^{\rho}\alpha\chi\iota\lambda$, à rad. $\chi\iota\lambda$, Jecit: quod
 idem Verbum occurrit Matth. XIII, 35. Eph. I, 4, in quibus locis tem-
 pus significari, nullum est dubiū. Resp. autem, Textū Syriacū esse
 saltem παροφρασικόν, & minimè authenticum: facile ergò de-
 flectere à sensu & mente Spiritūs S. potuisse. Ad vocem ta-
 men illam notamus, non posse certò evinci, eam latinè nihil
 aliud significare, quàm *fundamentum*, ut nec *foundationem* etiam,
 s. constitutionem, quoad actum, notet. Quod si est, non magis
 nobis obstabit Syrus Interpres, quàm si græcum κτίσις, posse
 etiam per actum creationis explicari, concesserimus: quâ ratio-
 ne & B. Luth. vertit; referretur enim sic ad sequens *Potentie &*
Divinitatis epitheton, $\alpha\iota\delta\iota\theta\varsigma$, & ad creationem actualem in
 tempore respiceret; quamvis possit etiam $\alpha\iota\delta\iota\theta\varsigma$, *Perpetuum &*

D

Con-



Continuum significare, ut, si ἀπὸ κτίσεως creationem primam, αἰδίου δυνάμεις rerum creatarum Conservationem & Providentiam in-
 47 dicet, quæ propterea *Continuata Creatio* Theologis dicitur. De
 exætero multò agimus rectiùs, si κτίσεως vocab. per *creaturam*,
 f. rem à DEO productam exponimus, idque propter usum in
 Scripturis creberrimum, ut Marc. XVI, 15. Rom. VIII, 19, sqq. Col.
 I, 15. Apoc. III, 14. Rom. I, 25. Quò accedit, quòd paulò antè
 in collatione loci, Sap. XIII, 1, sqq, cum Oraculo nostro, annota-
 vimus, ibi κτίσμα significare, quòd h. l. per vocem κτίσεως Spi-
 ritus S. exprimere voluerit. Tandem huic negotio addimus
 hunc προσδιορισμὸν: non esse planè rejiciendam sententiam eo-
 rum, qui *de tempore* phrasin interpretantur. *Non labefactatur*
argumentum nostrum, si maximè de tempore cognitionis voces ἀπὸ
κτίσεως κόσμου accipiantur, quia id innuetur, quòd nullo non tempore,
inde àb orbe condito DEUS cognosci potuerit, & quidem per ea, quæ
condidit, quòdque τὰ ἀόρατα αὐτῶν fieri quodammodò cæperint καὶ θό-
ρατα καὶ νοήματα, per creationem. Calov. *Script. Anti-Socin. Art. de*
DEO, p. 55. 4.

48 νοήματα] Hæc ipsa vox rationem notitiæ naturalis acqui-
 sitæ exprimit, & distingvit à priori Infita, quæ nihil τῶ νοητῶ re-
 quirebat. Est verò generalitèr acceptum hoc verbum idem,
 quòd in mente agitare, in animo versare, & intellectu circa rem
 aliquam quomodocunqve operari. *A nobismet ipsis νοεῖν, quæ sunt*
proximi, jubemur à Syrac. XXXI, 18. David ex eo, quòd mussitarent
servi illius, ἐνόησε, quòd mortuus esset infans. II. Sam. XII, 19, Præ-
tereà denotat maximam curam, attentionem & ἐπιμέλειαν, ut
Matth. XXIV, 15. Syr. XI, 7. Esa. XLVII, 7. I. Sam. IV, 20. Prov.
XXIII, 1. Jer. II, 10. II. Tim. II, 7. Specialitèr autem, eo, quo in
Anthropologia, modo, sumitur, pro facultate animæ rationalis;
ad quam pertinent omnes illius actus & operationes, quæ tra-
duntur: Contemplatio, Numeratio, Ponderatio, Dijudicatio; sive
illæ tres vulgo notissimæ: Simplicium apprehensio, apprehen-
forum compositio, & compositorum unius ex altero collectio.
 Proinde in comparanda, ex creatis operibus, DEI notitia, ita in-
 49 intellectu operari homo instituit: Primò concipit, apprehendit &
 cognoscit

cognoscit totum hujus universi amphitheatrum, mundum superiorem & inferiorem; specierum, quas uterque complectitur, numerum innumerum inquit; contemplatur stellas tam fixas, quam errantes, corpora tam simplicia, quam mixta, tam inanimata, quam animata, vegetantia, sentientia & rationalia, &c. quorum omnium quantitates considerat, continuam & discretam; qualitates, affectiones, tandemque operationes observat. Postea, quæ in unaquaque harum specierum distinctè & seorsim apprehenderat, componit, veluti plenâ oratione enunciaret: hanc rem esse bonam, perfectam, pulchram, &c. illam esse ingentis virtutis, roboris, magnitudinis, &c. & ita porrò. Denique unum ex altero colligit, quæ perfectissima & absolutissima est Intellectûs operatio, quam Verbum *νοῦν* specialissimè significat: hanc Intellectus peragit, prioribus propositionibus loco mediorum terminorum præmissis: Inventionem suppeditant, Principia cognoscendi naturalia: Nihil est à se ipso, vel causa sui ipsius: Non datur in Natura infinitum: Nihil est in natura ex omni parte perfectum. Ex quibus concludit: Omne quod est, esse ab alio: esse à causa superiori: Dari causam, omnium rerum primam & ultimatam, in qua omnes secundæ & naturales terminentur: Dari Ens aliquod perfectissimum, quod omnes perfectionis gradus possideat, &c. Ita nimirum hic Discursus, æquè ac quivis alius, reverà à notioribus ad ignota procedit, siquidem mediante ejusmodi *νοήσεις*, à cognitione rerum visibilium, oculis omnium expositarum, pertingere ad τὰ ἀγνώστου & ἀόρατα τῶ θεῷ, possumus. Nec cogitandum est, talem ratiocinationem temerè & fortè animi causâ suscipi, aut esse saltem quendam ingenii sibi relicti fœtum; sed esse verum aliquod, DEUM naturalitèr cognoscendi, medium: Hinc ipse τὴν νόησιν loco non uno præcipit: Pf. XCIV, 8. Prov. VIII, 5. *Non cognoverunt neque intellexerunt; nam, occæcati sunt oculi eorum, ut non videant, ut non intelligant corda eorum: Et non reducet ad cor suum dicendo, &c.* Esa. XLIV, 18, 19. *Si virtutem & operationem mirati, νοησάτωσαν ἀβ illis, quantò, qui constituit ipsa, potentior est.* Sap. XIII, 4.

- §1. Καθορέστας] Per Enallagen Numeri Græcis usitatam, Singular. ponitur pro Plurali. Prædicatur hoc Verbum de præcedente Nomine, ἀόρατα, ut, si conjungantur, ὁξύμαρον fiat, & implicare videatur, quod tamen per interposita verba iterum satis explicatur. Intercedunt enim primò κτίεις τῷ κόσμῳ & ποιήματα. Hæc sunt veluti media & instrumenta, quibus talis καθορέστας adjuvatur: cum facilè intelligi possit, illam non ita simpliciter peragi; sed secundum modum visionis propriè dictæ, quæ & ipsa sine organis suis fieri nequit, institui. Talia sunt Res creatæ, quatenus visibiles: circa quas ita versatur homo contemplator, ut eas oculis corporeis, iisque requisitis ad videndum probè instructis, attingat, & attentè lustret. Per has, ceu per transfennam res divinas perspicit, cœlestia per κάτοπτρον, διέσοπτρον, per speculum observat, atque sic de naturali D E I cognitione magis comprobatur, quod revelatæ aliàs Scriptura tribuit: cum tota Viatorum Theologia non sit nisi ἐσοπτρική & καθοπτική; προσωπική verò in hac via & vita non contingat I. Cor. XIII, §2. 12. Porro, nec hæc sola sufficiunt, sed intervenit etiam secundò νόησις, ea quæ vidit, apprehendens, ponderans atque dijudicans: quæ ideò in καθορέστας dicitur influere, quoniam Apostolus imitatur usum Hebræorum, qui, annotante Grotio, omnes sensus, internos & externos, videndi vocabulo exprimunt. Atque illa menti se offert sub specie ἀπαυγασμάτων, seu splendoris, à lumine creaturarum, ut ita loqui liceat, reflexi & repercussi: cum id per νόησιν quasi geminetur, & illà duplicatione vires ejusmodi, de se fulgorem spargendi, acquirat; nam, & argumentatio & discursus quilibet est compositus, ac per Medium terminum, in quo totum argumenti robur residet, veluti reduplicativus: suâque necessitate ita stringit, ut per hanc vim, conclusionem videatur elidere. Nunc paucis quæsitam ex inspectione creaturarum, D E I notitiam declaramus, Scripturæ testimoniis aliis, quæ nos similiter ad Magistram, universam rerum Naturam, ablegant, de DEO nos, non quidem præconio vocis, sed operis tamen artificio informantem; *Interroga, queso, jumenta, & docebunt te; & volatile*

latile cælorum, & indicabit tibi: Aut loquere terra, & docebit te, & narrabunt tibi pisces maris; Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit? Job. XII, 7, 8. 9. (Vid. Glasf. Philol. S. L. 5. p. 190, sq.) Cæli enarrant gloriam DEI, & opus manuum ejus annunciat firmitermentum, Pf. XIX, 1. Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creaverit hæc, qui educit in numero exercitum eorum, ad omnia ipsa per nomen vocat: præ multitudine fortitudinum, & fortis potentia cujusque non deficit. Esa. XL, 26. DEUS non sine testimonio reliquit seipsum, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora frugifera, implens cibo & letitiâ corda nostra. Act. XIV, 27. DEUS qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, & c. ut quærerent eum, si forte palpent & inveniant, Act. XVII, 24, 27. Quæ quidem Loca præfens Oraculum nostrum non confirmant saltem, sed egregiè etiam illustrant. Imprimis ei consonant Verba, Sap. XIII, 1. seq. 54 per omnia ferè similia: quam jucundissimam harmoniam proclive foret in medium adducere, nisi multò plura restarent: Illam tamen diligens utriusque collatio sine negotio poterit edocere. De eodem argumento juvat conferre Job. cap. XXXVIII, sqq. Pf. CIV. ac insuper ea Scripturæ Dicta, in quibus creaturæ irrationales & inanimatæ laudare dicuntur DEUM opificem, sc. non effectivè, sed objectivè, nec per inanem προσηγορίαν, sed per testificationem quandam realem, ut Pf. CIII, 22, Pf. CXLVIII, 3, sqq. Syr. IX, 24. quæ omnia in eodem de Naturali DEI Cognitione, capite, accuratè exposuerunt Nostrates, B. Gerb. Exeg. l. c. B. Calov. Script. Anti-Socin. l. c. aliique.

Sectio 3. Acroamatica.

§. I.

Notitia naturalis appellatio cum græco φυσικῆ, coincidit: Et, quod imprimis ad vocem naturalis; sumitur ea in oppositione ad Supernaturale, cujusmodi est Notitia DEI Revelata. Hujus denominationis ratio sumitur vel à principio & causâ proxima, natura sc. & essentia humana; vel à materia, tum constitutionis, principiis naturalibus, tum inhaesionis,

D 3

nim.

nim. natura & intellectu naturali; tum occupationis, natura
 æquè naturante ac naturatâ, quamvis non eâdem ratione; vel
 à forma, tum naturali propensione & inclinatione ad Veritates
 naturales, tum vi naturali ratiocinativâ; vel finali, à naturæ per-
 fectione, utpotè ad cuius justum atque debitum complemen-
 tum faciunt, eandem juvant & ornant. Specialius tribuitur
 Notitiæ Infitæ, ubi magis sumitur originativè, pro eo, quod à
 prima nativitate homini inest, si non formalitèr, aut quâ actum
 secundum, saltem virtualitèr, & quâ primum, de quo postea;
 & opponitur ei, quod essentiæ humanæ jam perfectæ & con-
 stitutæ accedit, eâque sic posterius est. Synonymia Notitiæ
 naturalis non simplex, maximè penès eos, reperitur, qui pro stu-
 diorum differentia ejus tractationem suo instituto alitèr atque
 alitèr accommodant. Ita Philosophos legas, quos in hac parte
 quandoque Theologi imitantur, adhibere phrasès: *Natura Lu-*
 56. *men, Rationis Lumen, Ratio recta & naturalis.* Potiores autem
 denominationes à Græcis traditæ sunt: *ἔννοιαι*, & cum addito
κοναί ἔννοιαι, nomine à subjecto inhænsionis, vel potius ab inhæ-
 rentia in subjecto, deducto: has Cicero latino vocabulo appel-
 lat *Notiones*, intelligens non illas simplices & ἀδιαρέτες, rebus
 quibuscunque impositas; sed complexas, συνθέτες, animoque
 inhærentes, quas illi, qui Disciplinas, Gnostologiam & Noolo-
 giam, agnoscunt, ita discriminant, ut prioris generis Notiones,
 illius, sicut posterioris hujus, objectum esse dictitent. προλή-
 ψεις, *Presumptiones, Anticipationes, aut Prænotiones* vocantur, quia
 Notitiæ naturales omnes alias superadditas anteverunt, cum
 sint omnium primæ & proximæ, reliquæ sint remotiores & alie-
 niores. De Notitiis Practicis propriè dicuntur *Lex Natura, Jus*
Naturæ, Synteresis: hinc à Moralium Doctõribus maximè usur-
 pantur. *Juris Gentium* appellatio, Politicis & Jure Consultis pro-
 pria est. Dantur prætereà plurimi tituli honorarii, tum græ-
 ci, tum latini, quos cumulosos videas apud illos, qui de nobi-
 57. lissima hac materia scribere instituerunt. Imprimis verò de
 vocibus, quas crebrò dicebamus à Philosophis adhiberi, monen-
 dum: eas paulò strictiores, & ad innatas saltem Notitias perti-
 nere,

nere, videri posse: quas tamen ampliſſe veteres, & sub iis ac-
quisitas etiam complexos fuiſſe, iidem docent, in his *Dn. Donati,*
Log. & Metaph, P. P. celeb. in Philoſ. ratiom. MSC. Cap. 4. Aph. I. quo
loco ſimul uſum harum appellationum eruditè evolvit.

§. II.

DE hoc argumento nunc paulò majori diligentia acturi,
conſultum arbitramur, circa Demonſtrationem τὸ ὄν, ſive,
quòd detur naturalis Θεογνωσία, non multum occupari: vel
enim illa conſicienda foret rationibus theologicis, & ex ſacro
Codice deſumptis, cui rei ſatis ſuperque ſufficere poſſe videtur
non ſolum Oraculum noſtrum biblicum, deque illo inſtituta
Exegeſis, ſed ſimilia etiam Scripturæ loca parallela & planè
ὁμοίωτα: vel argumentis philoſophicis, quæ ſatius eſt relinque-
re ſuis Autoribus, in quorum meſſem alienam falcem immitte-
re, minùs æquum putamus. Miſſis igitur his, nos ad ea accin- 58.
gamus, quæ facere ad τὸ δῖον Demonſtrationem, ſ. quid illa ſit
in definitione & quidditate ſua, videbuntur. Neque verò hîc
ea repetere animus eſt, quæ aliàs in hoc negotio accuratè per-
agendo, non ſine utilitate conferuntur, putà quæ aut philoſo-
phicè de Principiis naturalibus, quatenùs talia ſunt, & in actu
ſignato: aut theologicè etiam, de Naturali DEI cognitione, ut
ſic, generalitèr alibi pertractantur; ſed de eadem in actu exer-
cito, ſpecialiùs, ſecundum tum Inſitam, tum Acquiſitam, præ-
eunte in hoc Textu, diſquirere. Hanc rem quilibet animad-
vertit ejuſmodi eſſe, in qua non omninò abſtinere liceat ab iis,
quæ aliquo modo communia cum Scholis Philoſophorum eſſe
queunt; nec enim ſecus progredi, in eodem propoſito Theolo-
gorum alii aut voluerunt, aut potuerunt: valetque hîc maximè,
quod in pari inſtituto quidam iudicat: Athenas Hieroſolymis,
& Academiam Eccleſiæ non eſſe opponendas. *Fundamentum* 59.
igitur *Diſtinctionis Notitiæ DEI naturalis, in Inſitam & Acquiſitam,*
conſiſtit in Diverſitate modi cognoscendi DEUM; vel, ſi accu-
ratiùs de hac re pronunciare voluerimus, cum Notitia h. l. non
pro actu, ſed pro habitu ſupponat, ut ex dicendis conſtabit. in
Di-

Diversitate modi habendi & possidendi Notitiam: five enim inest intellectui per impressionem & implantationem, eidemq; inhæret; five illi non inest, sed inde potius prodit per discursum, velut ejus operatio. Nascuntur hinc satis multa utriusque Notitiæ discrimina, quæ modò recensere, non pigrabimur: Infitata communicatur per generationem; Acquisita per informationem aut propriam indagationem: illa naturæ est propinquior; hæc ab ea paulò remotior: illa est innata & immanens; hæc elicitæ & transiens: illa interna; hæc externa: illa subjectiva; hæc objectiva: illa simplex; hæc reflexiva: illa ad secundam mentis operationem pertinet; hæc ad tertiam: illa noëtica est; hæc dianoëtica: illa fons & origo acquisitæ Θεογνωσίας; hæc è priori ortum ducit: illa immediata est; hæc mediata: illa directæ est; hæc per περιλογισμὸν facta: illa consistit in testimonio conscientiæ intrinseco; hæc ex occasione creaturarum fit: illa conclusionem parit veluti sine Præmissis & Medio Terminò, fundatam in veritate & certitudine naturali; hæc plenâ argumentatione peragitur: illa est indemonstrabilis; hæc demonstrabilis: illius persuasio est ἀνυπέυδυστος, in qua oportet acquiescere, nec provocari potest in circulo naturæ ad quandam priorem minùs fallibilem; hujus saltem est rationalis & argumentativa.

§. III.

AD *Infitam* igitur, græcoque nomine Ἐμφυτον DEI Notitiam, recto pede accedimus. Hujus dum Definitionem tradere cogitamus, tanta se offert sententiarum diversitas, ut difficile sit, eas ad communioem aliquem conceptum inter classes rerum prædicamentales redigere; hinc solùm de singulis, tanquam quæ Propinquum Genus fiant, differendum. Ac Scholastici quidem jam olim disputarunt: Notitiam Infitam esse *Potentiam*, s. facultatem naturalem, & per hunc etiam modum inesse intellectui hominis; quam postea sententiam suam fecêre Sociniani, ii sc. qui de Infitâ DEI Notitia non omninò nihil statuere videri volunt: nec minùs Calvinianorum aliqui: Mox, ne quis arbitrari possit, eos prodigiosâ & sanæ Philosophiæ inaudita inscenam

scenam producere, & intellectui præter vulgo notissimas novam quandam potentiam superaddere, ad *δύναμιν* ejus *νεύνησι* s. facultatem judicatricem referre, consenserunt: Deinde, sicut ex uno inconvenienti sequuntur plura, ita propter realem identitatem facultatum Intellectus cum illius essentia, definierunt, esse ipsam *naturam & essentiam rationalem*, facultatibus suis potentiisque præditam. Quæ cum ab illis eò disputentur, ut hanc Infitam DEI notitiam labefactent; ita ferri à nobis nullo pacto possunt, ob sequentes rationes: quòd *δύναμις* sit facultas ad actus exercendos indeterminata, seque ad utrumque oppositorum æqualitèr & indifferentèr habens: quòd potentia intel- 62. lectrix se extendat ad omnes res quoquo modo intelligibiles: quòd hæc sæpè magnam difficultatem patiat in demonstranda Veritate; Infitam autem Notitia sit tale quid potentia illi superadditum, quod eam actuet, eam tanquam rem vagam diffusamque determinet, ad hoc vel illud determinatè intelligendum, inque agendo omnem difficultatem superet, & adeò promptitudinem ac facilitatem inducat: Porrò, quòd Intellectus quæ talis hominem minimè possit obligare ad assentiendum principiis naturalibus, etsi hæc quidem agnoscat; ita verò possit omninò Notitia Infitam, &c. Conf. ex aliis *B. Job. Meisn.* qui collectis collatisque Scholasticorum contrariis argumentis hanc rem expedivit in *Theolog. nat. p. 37. sqq.* Alii Notitiam infitam inesse Intellectui censent per modum *Speciei* vel *Impressæ*, vel *Expressæ*. Quod priorem sententiam attinet, videntur ejus Patroni sententiæ suæ colorem conciliare velle ex eo, quòd forma Notitiæ Infitæ communiter in Implantatione, Inscriptione, & *Impressione* naturali collocetur. Nihilominus ex illorum persuasione de hac re judicandum non est, quin potius proprietati terminorum, quam in sede sua obtinent, insistendum. Hæc ergò Physicorum Scho- 63. las adire oportet, ibique rationem specierum impressarum vel intelligibilium (nam hæc ipsis æquipollent) edoceri: Videlicet, non potest anima hominis res extra se positas simpliciter & seipsam cognoscere, sed opus omninò habet mediis quibusdam, quæ in Objectis materialibus sub cognitionem cadentibus sunt *Spe-*

E

cies,

cies, earque vel sensiles vel intelligibiles: per illas, tanquam ex ob-
 jecto sensibili ortas, & impressas sensorio s. organo corporis,
 cognitio denominatur sensualis, quemadmodum per has intel-
 lectualis dicitur. Neque verò gemina hæc cognitio tantum
 ab invicem distat, ut utraqve conjungi non possit; sed, quamvis
 prior, utpotè omni animali communis, alteram non necessariò
 secum ferat, posterior tamen priorem semper involvit, quippè
 à qua initium ortumque suum ducit; cum hîc demùm locum
 habeat illud tritissimum: Nihil esse in intellectu, quin prius
 fuerit in sensu. Igitur Phantasma, Intellectionis requisitum,
 quasi limes est, intercedens inter utramque cognitionem, eamq;
 copulans; reverà enim est prior species sensilis, delata ad sen-
 sus internos, ibidemque apprehensa, dijudicata & retenta. Tan-
 dem *Species Intelligibilis* idealitèr repræsèntat Objectum, & Intel-
 lectui imprimitur. Quare, cum ita de hac re censendum sit, clarum
 evadit, quàm parùm hæc in Notitiam Infitam convenient: :
 cum possint illa quidem aliquo modo ad Acquisitam Notitiam
 facere, eamque promovere; sed ad Infitam verò nullatenus perti-
 neant. Id quod porrò exinde constat, quòd Species Impressa
 est saltem intentionale quid vel spiritale, elicitum ab objecto
 externo; Notitia autem Infità ab Objecto minimè dependet: In-
 tellectui enim potiùs, suo subjecto, per modum entis veri &
 realis inest: Species intelligibilis est conditio ad operationem
 Intellectûs s. Intellectionem requisita; Infità verò Notitia
 refertur ad Intellectum secundùm essentiam: Species intelli-
 gibilis in intellectu est, actu semper cognoscente; Notitia Infità
 demùm suo tempore in actum erumpit, sc. accedente usu ra-
 tionis. De cætero, quemadmodum Speciem Impressam requiri
 ad Intellectionem actualem, hæctenus ostensum est; ita nunc
 de *Expressa* tenendum, esse eam terminum, effectum & fœtum
 intellectionis, in quem actu suo tendit & nititur: diciturque
 idolum, simulachrum & signum rei à mente conceptæ, dum
 eam repræsèntat & exprimit; nec aliud est, nisi λόγος ἐνδιάθε-
 τος, Verbum mentis, quod varias aliàs sortitur appellationes,
 quòd sit Conceptus, Notio, Noëma, &c. Et, quamvis hæc etiam
 opi-

opinio æqvè ac prior, veri quãdam similitudinem præ se
 ferat; nihilo tamen secius à nobis meritò relinqvitur, quia No-
 titia Infitã ex intellectu non resultat, quia res externas non
 propriè signat, quia Species expressã pro vera sæpè falsa concipi-
 pitur, quia non sine operositate quãdam producitur, quòd ens
 evanidum & fluxum est, facilèqve transit; cujusmodi quidem
 omnia à Notitia naturali Infitã longissimè abesse, manifestius est,
 quàm ut demonstratione egeat. Vid. de Speciebus his Scharff.
theor. transc. Diss. 3. & de priori imprimis Physica ejusd. Part. Spec.
l. 7, c. 1. l. 8, c. 2. Zabar. in Aristot. l. 3. de anima: & in l. 2. post.
Anal. c. 15. Suarez. Diss. 42. 44. Scheibl. Metaph. l. 2. c. 8. Nec
 defunt tertio, qui Notitiam Infitã per actum definiunt, eum-
 sc. qui in operando consistat, per operationem actualem sub-
 indè se exerat, cujusmodi actus *secundus* appellatur: eamque
 sententiam defendunt Thomistæ. Sed verò hæc sententia tam
 firma non est, ut, simul atqve animo concipiatur, refelli neqveat:
 Notitia enim Infitã non est ens successivum, transitorium, nec
 esse saltem obtinet cum quantacunqve operationis duratione,
 nec actum identidem repetit; sed subjecto semel infixã æqua-
 bilitè eidem continuè inest, nec infantibus minùs rationis usu
 exercitioqve destitutis, quàm adultis judicio valentibus inhæret:
 Porrò actus ejusmodi secundus aut est in potestate hominis,
 aut non est: si prius, poterit illum pro lubitu & arbitrio admit-
 tere vel etiam omittere; sin posterius, seqvetur, hominem etiam
 invitum, ἀνασίδως, & non antegressã voluntatis determinatione
 ad Cognitionem naturalem rapi, nec posse adeò Veritatem, ut
 loqui amat Apostolus, detineri in Injustitia, aut nullã prorsus
 ratione dari Atheos, aut hos certè non habere Notitias infitas;
 quæ quidem omnia nonnisi prodigiosè absurda esse possunt.
 Proinde minùs inconvenientè judicaret, qui Notitiam Infitã
 principium actûs secundi & operationis diceret, quale nullo
 ambigente actus primus, tanquam agendi vis & facultas est.
 Nihilominùs, cum Actûs primi significatio cum Habitûs appel-
 latione omninò paria non faciat, tutiùs loco Generis *Habitum*
 assignamus, qui illum utrumqve actum quãdam ratione inclu-
 dit, vel saltem aliquid cum utroqve commune habet: præter-



quàm enim, quòd eorum, quæ animo inesse à Aristot. dicuntur *l. 2. Eth. c. 5.* nihil relinqvatur, pro quo Notitia Infità haberi possit; plurima sunt, quæ ultimam sententiam confirmant, ut quæ desumuntur à Habitùs definitione, à conditione Intellectùs, à evidentia dictorum Scripturæ huic loco priorum, à natura imaginis primævæ & hanc insecuti peccati originalis; quæ, & similia argumenta reperias apud *Meisn. Phil. Sobr. P. I. p. m. 316. seqq. & 735. seqq. Calov. Syst. T. II. p. 81. seqq. Job. Meisn. Theol. nat. p. 47, seqq. Dn. Donati, Instit. Pneum. p. 53. seqq.* Saltem adji-
 ciendum, tum ob imperfectionem cognitionis, tum quòd hæc omnes numeros habitùs propriè & primariò talis non impleat, non tam Habitum, quàm ei quoddam analogum dici debere;
 68. quod nec diffitentur illorum aliqui *ll. cc.* Appellant autem istum Habitum *connaturalem*, & in specie *connatum*, quo ipso illius *principium* indicant, nosque adeò reducunt ad primam originem, imaginem divinam, & ad ejus præcipuè dotem, quæ ad Intellectum pertinet: cum hac enim talis habitus Protoplastis erat concreatus, hodie autem nobis omnib9 per naturalem translationem congenitus. Diciturq; ita hic Habitus discriminis gratiâ, cum idem ad alios quosdam Habitus sibi certâ ratione cognatos nos deducat: nim. tum ad acquisitum, huic è diametro oppositum, & per proprios actus comparabilem, de quo *Arist. lib. Categ. c. 8.* tum ad sic dictum intellectualem vel dianoëticum, de quo idem *l. 6. Eth. c. 3.* tum ad eum, qui specialitèr est primorum principiorum, de quo *l. 2. Demonstr. c. 18. & l. 6. Eth. c. 6.* Ita nempe, quod primum attinet, Notitia etiam acquisita Habitus est; quoad secundum, Theologia naturalis id cum Theologia quavis in genere commune habet, quòd Habitus dicitur, & circa cognitionem DEI naturalem, tanquam circa proprium objectum occupatur; quâ ratione consideratur in Protheoria generali Systematum Theologicorum, ad quæ tamen nonnisi
 69. indirectè, & ut Revelatæ Theologiæ contradistingvitur, pertinet; eodemque loco de Cognitione DEI naturali datâ operâ agit *Job. Museus Introd. c. 2.* & qui prætereà scripta sua, sub eodem, de Theologia naturali, titulo, consignârunt: Ad tertium obiter

obiter noto, quòd talis *Habitus Intelligentia & Noologia*, potissimumque ille, qui peculiaritèr est *Principiorum Practicorum*, *Syntereseos* nomine quibusdam veniat. Hanc de connatis Notitiis sententiam non parum illustrat veterum Philosophorum de habitu scientiarum & artium disceptatio: ita Platonicos accepimus omnium notitiarum quasdam Ideas, Species & Prænotiones in Intellectu posuisse, eidem ab ipsa nativitate naturalitèr impressas, easq; quoad latuerint, immersioni animæ in corpus tribuisse, nec proinde ullius rei puram ignorationem credidisse, sed cognitionem & apprehensionem scibilium saltem reminiscen-
tiam & recordationem appellasse. Hos Aristoteles loco non uno redarguit, imprimis in *libris Metaph. l. 1. c. 7. l. 12. c. 4. 5.* Quòd dum agit, in contrariam sententiam nimis quibusdam putatur declinare, dum scribit *l. 3. de anima c. 4.* non esse alitèr comparatum cum Intellectu, quàm cum tabula nuda, in qua nihil actu depictum est. Attamen nullum periculum est, Aristotelem his verbis Notitiis connatis detrahere, cum potius Platonico-
rum saltem *ὑπερβολήν* confutet, qui habitibus scientiarum, acquisitis plus justò concesserant; atque hinc nonnisi cum his ipsi res disputatioque est, id quòd illius loci Contextus Lecto-
ribus ad oculum demonstrat. Quòd si pari ratione de habitu etiam innato judicasset, sanè non majori quis vitio vertere nobis posset, si eum desereremus, mediâque incederemus viâ, quàm ipsi, qui tam liberè reprehendere Præceptorem suum, nullus dubitat. Postea, quicquid de Habitu Congenito, hætenus, pro generalitèr saltem declaranda Notitiæ Infitæ Definitione adductum est, id cum propria & formali illius ratione exasse etiam congruit: hanc collocamus tum in naturali mentis hu-
manæ inclinatione & propensione (veluti ejusdem actu primo & infantibus æquè ac adultis communi) quâ homo fertur naturâ in sensum atque perceptionem Principiorum naturalium, inque perceptarum approbationem & assensum: qualis Proclivitas non simplex est & otiosa, sed maximè actuosa, dum flectit, inclinât, & urget hominem, instar continui perpetuique stimuli, cum sine dubio sit instinctus naturæ intrinsecus, crea-



turæ rationali proprius, & àb animalium communi, vel ejus a-
 lli alicui speciei proprio, diversissimus: *tùm* in actuali cognitio-
 ne & apprehensione eorum, quæ natura suggererat, noscenda-
 que præbuerat, (tanquam actu secundo, & cum rationis usu *tùm*
 demùm se exerente, quoties per meditationem, commemora-
 tionem aut occasionem illorum reminiscendi quamcunque ex-
 citatur;) ad hanc illa naturalis Pronitas tendit, in hac termina-
 tur, & àb ea determinatione Notitia naturalis nomen appella-
 72. tionemque sortitur. Quemadmodum verò hæc quidditatem,
 Notitiæ Infitæ distinctè sistunt, sic minimè erraverit, qui illam
 generalius ita conciperet, quòd sit animo inhærens Persvasio de
 rebus naturâ cognoscibilibus, cum inclinatione ad iis assentien-
 dum. *Materia*, non tamen nisi ἀναλόγως talis, vicem haud
 immeritò sustinent Veritates & Principia naturalia. Ejusmodi,
 tam quòd ex dictamine libri naturæ hauriuntur, quàm quòd
 (imprimis quoad Principia practica) legis naturæ sunt, ac pro-
 inde ad modum legis præceptivæ adornanda; per Regulas &
 Propositiones recitari & enunciari solent. Unde simul liquet,
 posse jure optimo Materiæ appellatione venire, cum sint συμ-
 πλεγμένα, composita ex Subjecto & Prædicato, nec non ex li-
 teris, syllabis & vocibus, inque hæc simplicia vicissim resolubi-
 lia. Quæ de illis hîc loci peculiaritè adduci merentur, pau-
 cissimis includo: nim. quòd naturâ nota sunt per se, & simul
 nota nobis; in quo adversum tenemus Thomistis, illa à se mu-
 73. tuò hoc loco distingventib9: porrò illorū Veritas ex ipsis terminis
 constat, non quasi tantam vim tribueremus nudis terminis &
 vocibus, quæ intellectum in assensum illicò trahere possint, cum
 nomina & voces sub Categoria Quantitatis contineantur, Quan-
 titatis autem nulla sit efficacia; sed, in quantum significant &
 repræsentant res earumque veritates: unde illis cognitis, statim
 quoque hæ nobis innotescunt, ac proinde ita evidentè & ma-
 nifestò omnibus patent, ut nullâ operosâ indagatione opus sit.
 Quod reliquum, Principia naturalia non unius generis tradun-
 tur; alia enim sunt theoretica, alia practica: atque illorum ite-
 rum alia universalia, alia particularia, alia singularia: in quibus
 Practica

Practica quidem omnia, theoretica autem ea tantum quæ ultimæ classis sunt, huc ad nos pertinent. Consule, si placet, Dnn. Philosophos.

§. IV.

PARi nunc gressu transimus ad *Acquisitam*, quam Græci ἐπίκτητον vocant, *DEI Notitiam naturalem*, quæ propterea minoribus impedita est difficultatibus, partim, quòd ex superiori Innata dependet, partim, quòd Habitus est, in quo nullum requisitorum illius, qui propriè & κρηῶς ita dicitur, desiderari queat. Horum tria ponit *Philosophus: Φύσιν, Μάθησιν, & Γυμνασία* seu ἀσκήσιν: 74 illam, quæ præparet; istam, quæ adjuvet; hanc, quæ perficiat. Quæ *primum*, satis manifestè apparet Propinquitas hujus Habitus cum priori, ac proinde etiam utriusque Notitiæ; nam, & Habitus connatus à principio ortuque suo ita dicebatur, & includebat sub se naturalem *ικανότητα* & capacitatem, quemadmodum & Notitia Infiti Inclinationem & Proclivitatem naturalem formalitè inferebat: Paritèr ergò Habitus acquisitus Naturam, tanquam principium præsupponit, Naturæ aptitudinem & idoneitatem, promptitudinem & facilitatem requirit. Quoad *secundum*, quamvis extra controversiam superveniens informatio multum valeat ad comparandos scientiarum habitus, ipsi etiam, qui animum studiis excoluerunt, longè aptiores ad illos accedere possint; vix tamen opus est, alienam institutionem expetere, & non potius propriam industriam & sedulitatem adhibere, inquirere, scrutari, indagare: id quod non minùs naturale homini est, quàm habere intellectum, ejusque plenam usurpationem: non interim negato, ad hoc negotium alium alio subinde naturâ vegetiorem, tardiolemque esse. *Tertium* fit crebri- 75 tate & frequentia actuum, hoc est, sæpiùs repetitâ priori Investigatione, quam ita necesse est contingere, si quis innumerum specierum numerum secum animo reputaverit: cum enim harum singulæ, de DEO singulari & unicuique propriâ ratione, testentur, hinc peculiarem quoque & distinctum intelligendi actum postulant, atque hunc denuò iterum iterumque susceptum.

ptum. Oportet autem nunc dispicere de eo, quod ad DEUM cognoscendum nos deducit, & tum inter objectum, tum subiectum cognitionis, medium intercedit: est hoc omne, quod extra DEUM quoquo modo existit, inque fiendo, essendo & operando ab eo dependet: est tota rerum universitas, s. magnus ille naturæ liber externus, duobus foliis maximis, aliisque numero specierum infinitis constans. Inter hæc DE I opera infigne discrimen deprehenditur, cum dignitate & excellentiâ alia aliis antecedant, atque sic illustriores de DEO notas exhibeant. De *Homine*, ut ordiamur, est hic Microcosmus, omnium rerum creatarum compendium & epitome, qui sine contradictione maximas de DEO *παρακαταθήκας* & deposita possidet: hunc solus divinæ imaginis character & axioma nobilitat, & supra communem aliarum rerum sortem evehit: Neque tamen desunt alia præclarissima monumenta, si totam illius partem nobiliorem, Animam, consideraveris, essentiam spirituales, facultatibus præstantissimis præditam, imprimis pollentem intellectu, voluntate, risu, sermone, &c. Corpus similiter, sequior pars, quam affabrè effictum, cuius partibus iusta constat proportio & symmetria, formæ mirabili gratiâ vultus gaudet, non ad partem pronus, sed excelsus erectusque, de quo Ovidius canit; quæ omnes hominis præstantiæ vastum & ingentem Macrocosmum *ὡς ἐν συνόψει* repræsentare poterant. Homini proximè succedat *Angelus*, ob essentiam spirituales eamque completam, quavis corporeâ dignior, creatus à DEO immortalis, bonus, justus, sanctus, cum insigni potentia & robore, Ps. CIII, 20. 77. Ps. CIV. 4. Quò refer ea omnia, quæ considerationis Angelicæ sunt, & locum in Pnevmaticis inveniunt. His longè inferiora Animalia irrationalia & *Bruta*, quæ tamen & ipsa non obscura, de DEO Creatore testimonia continent. Et quidem nunc res flagitaret, aperire amplissimum & universale animalium mundi vivarium, sed meritò exclamamus ex Ps, XL, 6. *Multa fecisti tu Domine, DEUS meus, mirabilia tua: annuntiabo & loquar, plura sunt, quam narrentur.* Ps. CIV, 24. attamen non supersedebimus, animantium quædam præcipua, quorum vestigia in Sacris reperimus,

perimus, & quorum nobis seriem specialiter liber Jobi in fine exhibet, in scenam producere. Horrendæ magnitudinis atque roboris *Balenam* DEUS describit, quam *Leviathan* appellat, & sine dubio monstrum & βδέλυγμα infernale intelligit: *Non silebo*, inquit, *membra ejus, & verba fortitudinum, & gratiam dispositionis ejus. Qvis detexit faciem indumenti ejus? &c.* Job. XLI, 1. ad fin. Conf. Pf. LXXIV, 13, 14. Confimili ratione *Bebemoth* introducit, cap. antec. XL, 10. sqq. *Potentia ejus in lumbis ejus, & fortitudo ejus in umbilico ventris ejus, &c.* De Leone, inter quadrupedia, 78. principe, verba facit cap. XXXIX, 1. *Numquid venari docebis leonem prædam, & congregationem leunculorum implebis? &c.* Conf. Jud. XIV, 18. *Quid fortius Leone? Prov. XXX, 30. Leo rugit, quis non timebit? Amos. III, 8.* De Equo pergit ibid. v. 22. *Numquid præbebis Equo fortitudinem? numquid indues collum ejus tremore? &c.* *Pavo exultavit præ pennis & plumis Ciconiæ, v. 16.* Non dicam de minutissimis animalculis, quæ ob structuræ artificium sæpè nos in majorem admirationem rapiunt: *Qvis disposuit membra pulicis & culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam considera, &c.* *Expavescis in minimis? Lauda magnum;* Augustinus dixisse fertur. Paritèr & *Inanimatorum vitæ carentium Catalogum* non inordinatum texunt Pf. CIV, & Syr. XLIII, per tot. Vid. G. J. *Vossius Theol. gent. lib. 3. & 4. per tot.* Attamen hîc idem illud cogitemus, quod modò adductus Job alio loco, postquam opera divina enumerasset, subjicit, cap. XXVI, 14. *Quàm pusillum est quod audivimus de eo: itemque Syracid. cap. XLII, 23. c. XLIII, 36, 37. Usque ad scintillam est contemplari opera Domini: multa abscondita sunt majora his, pauca videmus operum ejus. Omnia enim fecit Deus, & piis dedit sapientiam.* Nec dubium est, ea, quæ de Salomonis singulari sapientia tantopere nobis commendantur, nonnisi speciali DEI informatione ei contigisse; *Dedit enim Deus sapientiam Salomoni, & intelligentiam multam valdè, &c.* *Et locutus est super arboribus à Cedro, quæ in Libano, & usque ad byssopum, quæ egreditur pariete: Et locutus est super animalibus, & super volatilibus, & super reptilibus, & super piscibus, I. Reg. IV, 29, 33. Sap. VII, 17, sqq.*

F

Proinde

Proinde sunt rerum naturalium quædam, quæ objectum cognitionis nostræ fieri naturaliter planè nequeunt: Vel enim DEUS illas homines latere, studiò voluit, tum ut ad solam divitiarum sapientiæ divinæ venerationem adducerentur, tum ut naturæ suæ imbecillitatem agnoscerent, quæ, cum terrena & naturalia capere non possit, multò minùs rebus spiritualibus dijudicandis suffectura sit, Joh. III, 12. Vel, homo ob naturalem *ἀδυναμίαν*, quam sibi per deplorandum lapsum ipse accersivit, ad res cognitione percipiendas est incapax, cum de Adamo adhuc integro aliud vel sola *ὀνομαθεσία* animalium evincat. Gen. II, 19. Sunt aliæ, quæ admodum difficultè, & nonnisi adhibitâ summâ animi contentione, investigari possunt: *Vix imaginamur ea, quæ in terra, & quæ in manibus, invenimus cum labore.* Sap. IX, 16. Ex tamen sic evidentes & certæ non sunt, ut tutò iis inniti queas, ut non potiùs rationes in promptu sint, aliud svadentes, aut non sint, qui adversum teneant, & sæpiùs contradicant. Quas ideò clarè satis homines nôsse, DEUS noluit, ut eos ad indagandum magis excitaret, & humanam adeò industriam exerceret. Eccl. I, 13. Sunt deniqve, quæ manifestæ sunt cuilibet; quomodo Sol se conspiciendum omnibus præbet, ejus illuminandi & calefaciendi vim omnes persentiscunt: sic etiam temporum conversiones & rerum vices indies omnes experiuntur. Hùc revocanda sunt singula illa argumenta, quibus à conditione rerum terrenarum ad DEUM concludunt. *Dn. Philippus in Loc. Chemnit. Loc. p. 20. Hutterus Loc. p. 283. Gerb. Exeg. 662, sqq.* aliqve. Ejusmodi in præsentî missa facimus, stricteqve inhæremus iis, quorum occasionem nobis Textus Paulinus suppeditat. Inde nunc declarare pergemus, quâ ratione quove modo ex Creaturarum inspectione ad DEI Creatoris cognitionem ascendere liceat. Quæ res duplici modo confici potest: In priori exponendo præmoneri hæc volumus: Causam principalem, efficientem sub se continere quandam exemplarem, quæ per modum formæ, agens intellectuale ita dirigit ac determinat, ut effectus ex intentione agentis ipsi reddatur similis: cumq; Exemplar vel externum sit, vel internum; nos præcipue hoc
 atten-

attendimus, & definimus, quòd sit conceptus mentis de opere conficiendo formatus. Tale constat de factoribus & artifice-82. bus, qui rei efficiendæ certam speciem & ideam in animo præconceptam habent, quam dum in opere producendo accuratè sequuntur, simul eidem proprium aliquem characterem imprimunt, ut non difficile sit, ex effectu genium & naturam efficientis quomodocunqve dijudicare, & sic quemlibet effectum ad genuinam sibiqve debitam causam referre; quâ ratione Protogenem ex scitè subtiliterque ducta linea agnovisse artificem, Apellem, tradit *Plinius N. H. l. 35. c. 10.* Hinc inferre eadem ratione liceret, etiam inter DEUM & productas à eo res quandam analogiam, proportionem & similitudinem intercedere, in qua utrumqve horum extremorum, tanquam in aliquo communi conveniat; unde adeò communio effectiva, græcè *κατὰ ἀλλοποίησιν*, quâ efficiens rem ut plurimum sibi similem producit, appellatur. Hûc illud haud præter rem adduci videtur, 83. quosdam de convenientia rerum non solum inter se, sed & cum DEO, dedita operâ & peculiari loco agere, quippe ex qua deprehendi possit, *cur DEUS nec plantæ sibi simile, nec tamen aliquod à se omninò diversum efficere voluerit*; ita *Gutk. Intell. Part. gen. c. 2. th. 3.* hinc iidem circa illam cognationem, quasi proprium alicujus Disciplinæ objectum occupantur, quod alii vel hoc ipso, Cognationis, vel Affinitatis, vel Subtilitatis nomine insigniunt, simulque de Veritate per Repræsentationem, tanquam hujus objecti attributo, Eminentia, Analogia, & id genus aliis disquirere instituunt. Inde adeò sequi colligitur, posse Deum per explicatam similitudinem in operibus suis cognosci, velut in speculo & effigie, quæ imagini, quæ in DEO est, respondeat; nihil enim prohibet, Deo etiam, mundi ædificatori & opifici, tribuere Ideas, quibus ille in efformandis operibus usus sit, cum hac tamen cautione, quòd sint *ipsa simplicissima essentia divina.* Vid. *Scharff. theor. transc. Diss. 13. §. 52.* Hoc sensu Intellectus divinus dicitur 84 norma perfectionis rerum naturalium, (sicut prior Intellectus humanus, artificialium;) quia juxta illam DEUS res dijudicat, utrum cum ea congruant; quemadmodum per hanc conveni-



entiam cum Intellectu DEI, *omnia quæ fecerat, erant valdè bona*, Gen. I, 31. Conf. etiam h. l. quæ de Veritate intellectiva habent *Calov. Met. D. & Scharff. theor. transc.* Equidem de Homine specialitèr affirmat sacra Pagina, cum ad imaginè divinam creatū fuisse; *dixit enim DEUS: faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram, &c.* Et creavit DEUS hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEI creavit illum Gen. I, 26, 27. Enimverò maxima est inter illam & hanc imaginem diversitas, fuit enim non *leviuscula & perfunctoria, sed excellens quædam hominis cum DEO, Prototypos, conformitas.* *Meisn. Phil. Sobr. P. I. p. m. 567. & Anthropol. Disp. I. Quest. 6.* Hinc idem, reliquas creaturas imaginem DEI referre, negat, propriè & theologicè loquendo, nisi fortè physicè, *ἐν πλατέι*, generaliter & abusivè, *Phil. Sobr. P. 2. p. m. 193. & Anthropol. l. c. Quest. 4.* quibus adde *Andr. Kesler. Disp. de Imagine Quest. 3.* Quamvis igitur creaturis DEI in communi non planè abjudicari possit hæc *ἰσοχῆ*, quòd aliquam saltem habeant proportionem & conformitatem cum essentia Creatoris, quin imò sint suprà enumeratæ dignitates creaturarum, certò quædam simulachra idiomatum divinorum; tamen illa analogia non est sine anomalia: & pertinet huc distinctio Philosophorum inter Imaginem Imitationis & Repræsentationis; nec non inter Imaginem & Vestigium: prius homini, posterius reliquis creatis tribuunt; de quibus ipsos consule; & brevibus quidem explicuit *Calov. Metaph. D. p. m. 525, 528.* Apparet ergò, non posse DEUM ex mundi operibus immediatè, directè & simpliciter cognosci, sed, qui alter cognitionis modus est nobis demonstrandus, indirectè, & per aliquas demùm ambages, quæ simplicem creaturarum intuitum juvent, promoveant, provehantque, eisdem vim & aptitudinem conferendo. Id præstat *Discursus*, isque non præcisè artificialis, secundum præcepta & regulas artis logicæ constructus, qui vulgo Syllogismus audit; sed præcipuè naturalis, qui & Inartificialis, &c. soloque rationis ductu peragitur. Huic sufficit, appellationem à eo, quòd *Discursus* dicitur, tueri, est enim & ipse compositivus, ex alio componens aliud, versatur circa duo distincta noëmata, cognitum alterum, alterum

alterum per hoc investigandum & cognoscendum. Præterea nec iis, quæ in Discursu quocunqve attendi communiter solent, destituitur, puta Materiâ & Formâ, nisi, quod illius potiore rationem habeat, hanc autem tam anxie non observet, quin eam liberè saltem & quandoque confusè adornet: Sive enim nudè tantum assertionem ponit, eidemque rationem probantem subjicit; sive hanc illi præmittit; præmissam vel unâ, vel pluribus Propositionibus complectitur, extrema item Propositionum nunc huc nunc illuc refert. Ita ferè convenit cum Syllogismo Imperfecto s. Cryptico, cum quo tamen non planè idem est; *habet enim hic adhuc aliquid artis, proximèque ad naturam Discursuum Syllogisticorum accedit.* Dn. Donati, Art. Syllog. p. 221. sq. Conf. Colleg. Ration. C. 10. Aph. 3. 4. Hujusmodi Discursus æquè in plebejos ^{87.} cadit, ac doctiores: quemadmodum enim hi amant facere, cum extra conflictum disputatorium constituti, aut tacitè secum ratiocinantur, aut cum aliis, quibus cogitata mentis satis commode exprimere volunt, familiariter conferunt; ita illi etiam solâ naturali Logicâ contenti sunt, non aliorum, sed suæ informationi inservientes: unde verò nemini, cui sic placuerit, grave esset, Syllogismum artificialem struere, ad præcepta Logica ritè conformatum, qui partibus constet legitimè dispositis, sitque in certa Figura, & aliquo illius Modo, &c. Non inutilitè hic repeteretur doctrina *de Demonstratione*, sed parùm prodest, longius evagari, & non potius ad rem redire, atque nunc porro, quid Ratiocinatio conferat ad acquirendam DEI notitiam, tribus saltem, quod ajunt, verbis aperire: Potest nempe naturalis Logicus cuncta, quæ rebus inesse, vel adesse, vel accedere deprehendit, geminâ ratione ad DEUM referre: *κατὰ Φαινώσ*, omnes rerum perfectiones de eo affirmando; & *ἀποφατικῶς*, omnes infirmitates negando. Hinc duplex DEUM cognoscendi *Via* ^{88.} Scholasticis nomen accepit, *affirmativa & negativa*. Alii, præeunte Thomâ, triplicem viam tradunt: Viam *Causalitatis*, quando ex effectibus causam colligimus; quæ fundamentalis est, cui reliquæ sequentes innituntur, estque à nobis suprâ declarata: Viam *Eminentie*, quâ DEO vendicamus omnes finitas & crea-



tas τελειότητες, quas longè eminentiori & excellentiori ratione possideat: Viam *Negationis*, quâ omnes creaturarum Imperfectiones & imbecillitates longissime à DEO removemus, eique ê contrario tribuimus positivas perfectiones, illis Imperfectionibus oppositas. In hanc ultimam Viam ulteriùs inquisivisse nominatum Thomam, testis est *Gerh. Job. Vossius, Theol. gent. l. 1. p. 11.* Esse enim *Imperfectionem rei, ut temporalis est*; cui opponi *Æternitatem DEI: esse Imperfectionem potentie passivæ*; huic oppositam esse ejus *Immutabilitatem: & tandem compositionis*; pro qua in DEO sit ejus summa *Simplicitas*. Plura in hanc rem petere licet, ubicunque de Eminentia & Analogia agitur; nam, cum quidem hæc tractatio ad Logicam pertineat, non tamen eam omnes ad unum & eundem locum referunt. Interim satisfacere poterunt antè memorati Noologiæ Autores; nec non *Scharff. theor. transc. Diss. 4.*

PARS II. sistens

Reum, s. Personam fontem.

Hujus cum in v. 19. & 20. expressa mentio non inveniatur, indicetur autem per pronom. *αυτοῖς*, quod se ad præced. verba v. 18. refert; eò recurrendum est: fit enim ibi mentio *Ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων.*

Sectio I. Philologica.

9^o *Ἄνθρωπος*] Verba sunt rerum symbola, quarum naturam & proprietatem, quâ præ cæteris singulari pollent, sæpiùs non obscure significant. Ejus generis præsens nomen est, in cujus Notatione evolvenda licet omnes non planè convenient, attamen illud nobilitatem & prærogativam hominis præ cæteris animæ-

animalibus, exprimere, omnes illæ variantes Etymologiæ consentiunt. Socratem & Platonem memorant, ἀνθρωπον dixisse, quasi sit ἀναθρῶν ἢ ὄπωπε, vel ἀναθρῶν ὄπωπας; Theophrast. παρὰ τὸ διαθρῆν τὸν ὄπα; Etymologisten, παρὰ τὸ ἀνω ἀθρεῖν, (Significat v. ἀθρεῖν, tam oculis corporis quàm mentis videre, derivatum à θρωρῶ, per Syncop. præfixo α epitatico, vel à θρῶ, cerno, unde quidam loco ἀνθρωπος, ἀνδρῶπος scribunt, notante Henr. Steph. Thes. G. L.) Hinc quibusdam ἀνθρωπῶ est, quasi τὰ ἀνω θρωρῶν; aliis, ἀνω τρέπων ὄπα, sursum vertens oculum; aliis verò ἀνω ῥέπων, sursum vergens: peculiaritèr Camerar. in διασκευῆ, ἀνθρωποι, inquit, sunt ἀνω θρώσκοντες τῆ ὄψει, sursum insipientes facie. Has omnes Etymologias sibi invicem adversas esse tantum abest, ut in ipsa re amicissimè conspirent; redit enim hîc illud Sulmonensis Poëtæ non multò antè allegatum. De cætero ἀνθρωπῶ ἀπὸ τῆ ἀνῆρ differt, quantum Latinis homo à viro; quamvis enim non rarò promiscue sumantur, propriè tamen idem non sunt, cùm prius ex æquo significet marem & feminam, & sit nomen mobile secundum utrumque sexum; posterius feminae relativè opponatur. Vid. G. J. Voss. Theol. gent. p. 983, sq.

Ἀλήθεια] Ionicè ἀληθινή; nomen est àb adject. ὁ κῆ ἢ ἀληθής. Quod vocis iterum Originationem spectat, illa quoque satis prodit, quàm pulchrè ipsi res respondeat: descendit enim àb antiqua rad. λήθω, Doricè λάθω, lateo, pro quo usitatiùs λαυθάνω, & tùm quidem ratio denominationis hæc est, quòd diu latere nesciat, sed tandem erumpat; premi enim potest, opprimi non potest: vel descendit à nom. λήθη, oblivio, quòd nulla est in veritate oblivio, ut quæ saltem τῆ ψεύδης, mendacii huic oppositi comes est; hinc illud tritum, Mendacem oportere esse memorem: accedit, quòd & Hesych. Lex. exponat per vocab. μνήμων, memor. Platoni ἀλήθεια dicta perhibetur quasi ἀληθεῖα, divina animi vagatio & anxietas. A Suida cognominatur θείων περὶ καὶ ἀνθρωπίνων ἡγεμον. τὴ ἀληθείς à Demosth. adhibetur pro δικαίω, justo, & opponitur Injustitiæ, (τῆ ἀδικία:) τῆ καὶ ἀληθείς ἐστὶ καὶ, &c. Similitèr Aristot. περὶ ἔρμην. Ei respondet Hebræum

אֱלֹהִים

ἸΩΝ, Efa. LXV, v. 16. Quæ vox non est alia quàm toties in N. T. usurpata, ἀμὴν, ἀμὴν, quæ alicubi exponitur per ἀληθῶς, ut videre est ex Matth. XVI, v. 28. & Luc. IX, v. 27. quemadmodum & ὁ ἀμὴν substantialis (ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς) Apoc. I. v. 18. c. III. v. 14. non est alius, nisi qui ἡ εἶδος, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωὴ. Joh. XIV. v. 6.

Ἀδικία] ex α privat. & δίκη Justitia. Hanc quidam deducunt ab Hebr. דין, abjectâ primâ literâ; aliam verò derivationem subministrat ipse *Aristot. Eth. 5. c. 4.* inquiens: ὀνομάζεται δίκαιον, ὅτι δίχα ἐστίν, ὡσπερ ἂν εἰς εἰς εἴποι δίκαιον: καὶ ὁ δίκαιος δίκαιος. Declarant hunc *Aristot.* locum ejus antecedentia & consequentia: imprimis in præcedentibus dixerat; In rebus quæ essent, plus & minus arithmetica proportione, medium esse id quod æquale est, quemadmodum tale medium punctum est, quod lineam in duas æquales partes secatur; esse igitur illud medium
 93. Jus f. æquum, sicut & ipsum Judicem, tanquam δίκαιον ἐμφύχον: quam ob rationem pergunt Judices dicere (μεσιδὶς) & μεσιτῆς, intermedios, quoniam inter partes inæquales interveniunt, & totum δίχα dividunt, rediguntque ad proportionem arithmetica. Huic videtur respondere german. vocab. *Bidermann*/ quasi utrorumque vir, *Beyder mann*/ qui æqualitatem inter, utramque partem querit. Vid. *Magirus ad b. l.* At Plato putat, δίκαιον dici, quasi δίκαιον, interposito ob Euphon. κ, currens, transiens (per medium,) quod itidem est, æqualitatem servare. Aliis δίκη sonat, quasi διὸ εἶχειν, cujus eadem ratio est. Significat, autem hæc vox non saltem illam determinatè virtutem, quæ versatur circa res distribuendas & commutandas, quæque à reliquis Virtutibus specie distincta est; sed valet etiam idem, quod Jus, æquum, fas. *Philosoph.* distinguit inter Justitiam universalem & particularem, *l. 5. Eth. c. 1. 3. & 7.* adducens ex Theogn.

Ἐν δὲ δίκαιοι τύχη συνδύβδην πᾶσ' ἀρετῆ' ἐστίν:

94 Pergit, Justitiam non esse partem virtutis, sed universam virtutem, neque contrariam injustitiam partem vitii, sed universum esse vitium; eam à Virtute differre non nisi definitione, ipsam enim referri ad alteram, hanc solum ad habentem vel subjectum
 in.

intransitivè referri. Similia deprehendes apud *Piccolom. p. m.* 282. & 228. ubi de Justitia illa universali, postquam ejus alia encomia enarraverat, affirmat, quòd sit Turris fortissima, cujus tres sint anguli: *Honestè sc. vivere, neminem ledere, jus suum unicuique tribuere.* Quo sensu Justitiæ vox non modò Scripturæ S. sed & Scriptoribus profanis perquam familiaris est; ita enim de Aristide *Nepos* tradit, in ejus vita c. 1. quòd unus post hominum memoriam cognomine *justus* sit appellatus, &c. quòd cupide elaborasset, ut præter cæteros *justus* appellaretur. Hinc par erit ratio Oppositi, *ἀδικίας*, ut non necesse sit, de hoc peculiaritè edifferere; significat enim non solum vitiū, in rebus distribuendis & comutandis peccans, sed universale quoque, unde & Injustitia universalis appellatur. Atque tali modo Justitiam & Injustitiam tum universalem, tum particularem Aristot. ipsis terminis voluit distingvere, dum Concretum s. Justum justitiā universali vocat *νόμιμον*, sicut injustum injustitiā universali *παράνομον*; ex adverso justum justitiā particulari *ἴσον*, injustum *ἀνίσον*. Pariter in abstracto virtutem universalem dicit *νόμιμον δικαιοσύνην*, particularem verò *ισότητα*: uti contra vitium particulare *ἀνισότητα* & *πλεονεξίαν*, universale autem *παράνομία* indigitat, à quo vocab. non multum differt quod de peccato usurpatur, *ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*. I. Joh. III, v. 4. l. c.

Κατέχειν] Ex *κατὰ*, quod h. l. significationem intendit (ut supra *καθοράν*;) & *ἔχειν*. Signif. idem quod Contineo, Retineo, Cohibeo, ut apud Thucyd. *καὶ κατέχειν τὴν διάνοιαν ἔκ ἡδύνατο*. Similitèr dicitur, *κατέχειν τὴν ἐργίαν, τὸν θυμὸν*, apud Aristot. *κατέχειν γέλωτα*, Xenoph. Parem emphasin habet, cum idem est, quod 96 reprimere loquentem, eiqve silentium imponere, ut ap. Isocrat. *ταύτ' εἰπὼν κατέχον πρὸς ὃν τὰς λόγους ἐποιεῖμην*. Hinc Adject. *ὁ ἢ ἡ κατόχου*, qui l. quæ captus, a, tenetur; idem quod *κεκράτηται*, η. *Ἀκάθεκτος*, *ἀκατάχεται*, qui cohiberi nequit. *Steph. Thes.*

Sectio II. Exegetica.

TERMINUS, quem hæc Pars in fronte gerit, Concretivus est, duo involvens modò nobis expedienda: primò enim subjectum

G

in

in se & simpliciter proponit, quod *homo* est; deinde hominem secundum quid & cum certa qualitate consideratum exhibet, uti nempe *Reus*; qui sane distinctus conceptus est, & peculiaris considerationem culpæ, quæ homo tenetur, deposcit. Eandem conceptuum discretionem Verba Textus superscripta haud difficile admittunt, dum illorum primum indicat Vox

97 ^{ἄνθρωπων}] Idem sunt, qui & Subjectum Notitiæ naturalis constituunt. Non potest autem amplius esse dubium, Homines esse, conditos ad imaginem DEI, mente rationeque donatos, præditos consilio & corde ad cogitandum, scientiâ intellectus, & boni pariter ac mali cognitione repletos, Syr. XVII, 3, sqq. Et populus quidem Judaicus magnoperè sibi placebat cum legibus, quas proprias tenebat, forensibus & ceremonialibus, ita enim gloriatur Ps. CXLVIII 19, 20. *Ostendit Verbum suum Jacob, Israëlī statuta & judicia sua: non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Potius verò sibi gratuletur universum hominum genus, se tanquam peculium possidere, quod denegatum reliquis rebus omnibus ille bonorum dispensator, æquissimus benignissimisque voluit. Tale maximè proprium homini est, in quarto modo, & ἐξοχικῶς tale, conveniens huic omni, soli, & semper. Quodque imprimis ad demonstrandam subjecti universalitatem pertinet, observant: ἐπὶ πάντων ἀσεβειῶν ἢ ἀδικιῶν ἀνθρώπων, per Ebraismum dici, pro ἐπὶ ἀσεβειῶν ἢ ἀδικιῶν πάντων ἀνθρώπων, ut ex *Weinrich. Zeisold. Log. S. P. 3. p. 209.*

98 quæ ratione explicat ipse etiam *Lib. Conc. p. 319. & 593.* proinde Apostolum sub hominibus complecti Judæos simul & Græcos, v. præc. 16. c. II, 9. c. III, 9, 19. mares & feminas, c. I, 26, 27; adultos & infantes, Eph. II, 3. Cumque de his præcipuè litem nobis intendere aliquis possit, tenendum, Infantes Subjectum Notitiæ naturalis fieri, quamprimùm esse à natura sortiuntur, & esse extra causas naturales incipiunt: id inde manifestò evincitur, quòd illis etiam prædicatum convenit, in Textu statim additum; *nam cogitatio cordis humani mala est ab infantia*, Gen. VIII, 21. *In iniquitatibus concepti sumus*, Ps. LI, 7. Saltem constet, inesse Infantibus naturalem DEI notitiam, quæ simplicem in hæsi-

nem,

nem, & quoad actum directum, quamvis non quoad reflexum, & inhæſionis ſenſum, qui tùm demum accedit, cùm ratio ſeſe vindicaverit. His, quæ de ratione competentia ſubjecto propria diximus, exaſſe reſpondet Paraphraſis Syri, qui vocabulum *ἀνθρώπων* h. l. reddidit per Pleonaſmum, *filiorum hominum*, duabus vocibus in unam contractis, *Glaſſ. Gramm. S. p. 147*; nam eadem hæc phraſis omnium ſapiffimè adhibetur iis in locis, quibus aliquid hominibus tribuitur ſuæ conditioni & forti peculiariter conveniens, quam ob rem ut plurimum interpretationis & *ἐξεργασίας* gratiâ in eadem oratione cum nomine *hominis* junctâ reperitur, v. g. Num. XXIII, 19. II. Sam. VII, 14. Job. XVI, 21. c. XXV, 6. Pf. VIII, 5. Pf. CXLIV, 3. Eſa. LI, 12. Quibusdam placet, vocab. *ἀνθρώπων* reſtringere ad Sapientes gentilium, de quibus exploratum eſt, quorſum in *θεογνωσία* naturali per indefeſſam ſpeculationem delati fuerint, ut parùm abſuiſſe à vera DEI cognitione videri poſſint, & adeò anſam multis dederint, eò audaciae procedere, ut non malè de eorum ſalute ominarentur. Tale compertū eſt de Philoſophis præfertim græcis, Pythagora, Socrate, Platone, Ariſtotele, Hermete Trimegiſto, Seneca, &c. quam expoſitionem tenet inter alios *Eſtius, Comment. h. l.* Sed longè aliter rem habere, prolixâ demonſtratione non eget. De *Joh.* autem *Coccejo* id addo: non poſſe planè pervideri, quo ille conſilio, in *Comment. ad Rom. I, v. 20*, aſſerere non dubitaverit, animadverſionem, ſeu, quæ illo loco vox habetur, *νόησιν* DEI ex rebus creatis, in nullo homine irregenito eſſe, ſed eſſe ſolius fidei *ἐνέργειαν*: quod certè eſt, notitiam DEI naturalem evertere, ſtatumque naturæ & gratiæ confundere: quòd enim pergit probationis loco adducere, Apoſtolum omnibus impiis & injuſtis exprobrare, quòd non attenderint, id propterea ad omnes omninò homines minimè trahendum, imò aliqui potiùs DEUM cognoviſſe dicuntur, v. 21. Sed illud, Ebr. XI, 3. nobis adverſum eſſe minimè poteſt: Præterquam enim quòd haud inviti concedamus, modum & circumſtantias mundi conditi fide conſtare; non repugnat, aliquid naturâ notum eſſe, ſimulque revelari, & fide divinâ credi; de quo alibi, ubi de

articulis fidei mixtis disquiritur. Quæ verò ratione allegatus locus rectè & utilitèr hîc conferatur, vide *B. Chemnit. Loc. p. 22.* qui ibidem de vero & pio naturalis notitiæ usu in Ecclesia, differit. Ita de Subjecto simpliciter. Sequentia verba culpam manifestant; hanc cum Subjecto conjungit Articulus

101 τῶν] Qui propterea non est διακριτικός, quemadmodum censent, qui de solis Sapientibus prædicatum intelligunt; sed ἀπολογητός, ut reddat rationem, cur super omnes homines ira DEI reveletur, uti Rom. VI, 10.

τὴν Ἀλήθειαν] Veritas alia est transcendentalis & entitativa, quæ opponitur falsitati transcendentali; quomodo! verus DEUS dicitur Jer. X, 10. I. Thess. I, 9. Joh. V, 20. quò pertinet etiam Veritas ejus attributiva, Ps. XXXVI, 6. Ps. XL, 11. Ps. LXXXIX, 2. sqq. item quæ metonymicè Veritas DEI dicitur, effectiva, Ps. XLIII, 3. Joh. XIV, 17. c. XV, 26. c. XVI, 13. Alia Veritas est substantialis & personalis, nim. Christus, Joh. V, 33. c. XIV, 6. qui ipse alio etiam sensu Veritas dicitur, Joh. I, 14, 17. ea sc. quæ opponitur typis, figuris & umbris significativis. Porrò alia Veritas moralis est, virtus illa homiletica, in hominum societate usum exrens; opponitur mendacio, vitio morali: & vel in sermone & verbis attenditur, Ps. XV, 2. Prov. VIII, 7, 8. Zach. VIII, 16. Joh. VIII, 40; vel in actionibus & factis, I. Reg. III, 6. Ps. XXV, 3. Ps. LXXXVI, 11. Esa. XVI, 5. c. XXXVIII, 3. c. XLVIII, 1. Joh. III, 21.

102 Ab his omnibus Veritatis significationibus S. Scripturæ usurpatis, differt illa singularis, quam hîc Apostolus adhibet. Et cum vulgò quidem Veritatem in aliqua relatione conformitatis & congruentiæ cum quadam sui norma collocent; hæc etiam in respectu & ἕσει ad objectum, ad quod tanquam ad normam respicit, consistit; quanquam possit & denominationis hæc ratio reddi, quòd res, ad quas hoc Veritatis nomen refertur, non solum verè existant, sed & in quidditate & formali veritatem contineant. dum non dubiæ sunt, non fallaces, non erroneæ, sed verissimæ certissimæque. Hoc sensu quoque Veritates naturales dicuntur Conclusiones & Principia naturalia: vid. *Ragerus Exeg. Epist. ad Roman.* quam Veritatem sententiarum, formalem, complexam,

plexam, propositionis & enunciationis appellant. *Scharff. theor. transc. p. 373. sq. & 377. sq.* Ut ad Textum propius accedamus, ¹⁰³ Interpretum notamus plurimos vocem, DEI, inferere, ut Tremell. & Vulgat. eamque subintelligendam esse, monet *Estius, Comment.* simili modo quo reperitur v. 25. nec aliter, quam v. 19, τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ, quod ab hoc significatione non differt, item τὸ δικαίωμα τῷ Θεῷ, v. 32. Ac potest hæc interposita vox DEI rem aliquo modo explicare; ita enim vocabulo *Veritatis* Apostolus complectitur omne id, quod de DEO sciri potest, quæ essentiam & voluntatem. Nam ad unum ferè omnes intelligunt legem naturæ, jus naturæ, notitias naturales, s. veros conceptus naturæ notos, & ex principiis naturæ deductos, ut *Balduin. Catech. Apost. P. 3. Weller. Annot. Rom. l. 25. Gerb. Exeg. p. 681. Ragerus Exeg. l. c. Job. Cunr. Dieter. Antiqu. N. T. p. 80.* Equidem *Coccejus* Veritatem per rectitudinem & justitiam exponit, sc. ut manifestius oppositionem ἀληθείας & ἀδικίας declararet, & intelligit adeò virtutem universalem, de qua nos supra; sed tutius est, vestigiis nostrorum Doctorum insistere, quam alienis, cum non rarò per cuniculos nobiscum agere soleant, præprimis cum ille levitèr saltem Veritatis explicationem, quæ hic debebat fieri, attingat, & ad eam statim, quæ & Evangelio aliàs tribuitur, dilabatur. Denique ἀληθείας vocabulum occasionem dat medita- ¹⁰⁴ tioni quæ h. l. fortè nec inconueniens nec injucunda esse potest: Legimus nempe Exod. XXVIII, 30; & Num. XXVII, 21. de Pectorali summi Sacerdotis, id in se continuisse *Urim & Thummim*, atq; hæc fuisse *super cor summi Sacerdotis, Aaronis, coram Domino semper.* LXX duo hæc vocabula verterunt, δῆλωσιν καὶ ἀλήθειαν, h. e. manifestationem & veritatem, non equidem observantes etymon hebraicarum dictionum, sed illarum saltem vim, & ut sensum eò melius exprimerent (vid. *Meisn. Phil. Sobr. P. 2. p. m. 395. sq.*) Pariter Imago primæva, quæ nos Diabolus exuit, & cujus nunc saltem exigua quædam portio nobis superest, non incommodè Pectorale dicitur, omnibus hominibus adhærens, quod ad cor & pectus hominis habet δῆλωσιν, s. τὸ γνωστὸν Φανερόν, lumen illud naturæ; & τὴν ἀλήθειαν, quæ alio loco νόμιμον dicitur, legem

gem naturæ: Et quâ ratione per Urim & Thummim populus Judaicus de mente & voluntate DEI informabatur; ita nobis quoque ex manifestatione DEI per naturam, aliqualem ejus cognitionem, etsi etiam nudè παιδαγωγικῆν, promittere possumus. Sed hæc ἀλληγορέμενα.

105 Ἐν Ἀδικίᾳ] Quædam Exemplaria Præpos. ἐν omittunt; verum priorem tamen lectionem probat *Weller. Annot.* Et similis oppositio ἀληθείας & ἀδικίας deprehenditur, I. Cor. XIII, 6. II. Thess. II, 10. adhibetque hanc vocem Apostolus de industria; cum enim ipse sibi sumpsisset agere de δικαιοσύνη Θεῶν ἐκ πίστεως εἰς πίσιν, v. anteced. 17. & c. III, 21, 22; rem orditur ab initio, & de lege primùm naturali ejusque abusu differit. Conf. quæ in Sect. I. annotavimus. Hic illud observare solent: *Hebræos græcè scribentes latius usurpare ἀδικίαν, quàm Philosophos, ut significet omne id, quod erga homines minùs fit, quàm debet fieri ex officii alicujus ratione;* nam, ex sequenti inductione & enumeratione scelerum, v. 23. ad fin. patere potest, quàm latus & amplus sit hujus vitii ambitus: in quo significatu accipitur etiam Act. VII, 23. Rom. III, 5. Rom. VI, 13. II. Tim. II, 19. II. Petr. II, 13, 15. Jac. III, 6. In eodem hoc versiculo 18. conjunguntur ἀδικία & ἀσεβεία; inter quæ tamen illud discriminis notant, quòd ἀσεβεία ad primam legis tabulam, ἀδικία ad secundam spectet. *Gerh. Exeg. Balduin. Catech. Apost. Catov. Bibl. Illustr. Weller in h. l.*

106 Καταχόντων] Syrus accepit pro Tenentium, Possidentium, quâ significatione græcum κατέχον adhibetur, I. Cor. VII, 30. II. Cor. VI, 10. apprimè quadrat ad nomen ἀλήθεια; ita enim significat, id, quod latere nequit & subinde emergere attentat, vi constringere & detinere: ita usurpatur, II. Thess. II, 6, 7, de mysterio iniquitatis, quod, ne revelari possit, ad tempus detineatur; interim illud ἤδη ἐνεργεῖται. Luth. Es veget sich schon: significat item, quendam currentem aut stantem in itineris pro-cinctu remorari; Gen. XXIV, 54, 56. Luc. IV, 42. de angustiis, quibus aliquis ab hostibus clausus est, II. Sam. I, 9. de captivitate, quâ quis tenetur, Gen. XXXIX, 20. c. XLII, 19, 25. denique, ut supra de reservatione τῆ κατ' ἔσωλόγῃ, ita de τῆ κατ' ἔξω, Luc. VIII,

VII, 15. I. Cor. XV, 2. usurpatur. Plura vide in *Polo, Synops. Critic.* Aliâ phrasi utitur v. 25. *μητιδὲ ζῆλον τὴν ἀλήθειαν τῶ θεῷ ἐν τῷ ψεύδει;* quæ tamen pro illius Textûs circumstantia paulò aliter intelligenda, cum oppositio sit inter veritatem DEI essentialem, & falsitatem Idolorum Deorumque gentilium. Quod verò ad hanc nostram, eam *Estius* explicat de *Græcorum Philosophis*, ut suprâ monitum, quos *detinuisse veritatem in mendacio* dicit, dum vel non communicarint eam aliis, vel non ostenderint per opera pietatis: ex quibus, addit, *Plato ne quidem evulgandam putabat eam, quam perceperat unius DEI notitiam, sed iis solis communicabat, quibus ut amicis ac sapientioribus animi sui sententiam auderet aperire; Comment. h. l.* Verùm, *ἀνθρώπων* vocabulum malè ad Græcorum Philosophos restringi, aliunde patet. Illud verò proclive est ex dictis Apostoli verbis colligere, tribuere eum Injustitiæ quendam potestatem & dominium, quod cum usu Scripturæ, præprimis in hac ipsâ Epistola, valde congruit: ita enim peccatum regnare in ipsum hominem ejusque animam & corpus dicitur, originale æquè, ab Adam in omnes illius posteros, Rom. V, 14. 21, ac actuale, cujus nos dominio subtrahere fideliter monet, dū inquit: *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates ejus; nec accommodetis membra vestra arma injustitiæ peccato, c. VI, 12, 13. serva immunditiæ & iniquitati, ad aliam atque aliam iniquitatem, v. 19. an nescitis, quòd cui accommodatis vos ipsos, ejus servi estis, cui obeditis? v. 16. & à quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus, II. Petr. II, 19. ubi etiam servus corruptionis dicuntur; nam, omnis qui facit peccatum, servus est peccati, Joh. VIII, 34. hinc de irrogenitis dicit, quòd, cum essent in carne, affectus peccatorum vigerent in illorum membris, c. VII, 5. sint carnales, venditi sub peccato, v. 14. Sed ea præcipuè, quibus idem Apostolus luctam carnis & Spiritûs in propria persona graphicè depingit, omnium maximè legis naturæ & originalis concupiscentiæ, s. ἀληθείας & ἀδικίας aduersitatem illustrare possunt: Novi, inquit, quòd non habitet in me, h. e. in carne mea, bonum: Reperio legem volenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adjunctum sit. Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ,*

& ca.

Et captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis, v. 18, 21, 23. Hæc vis est phrasæ Paulinæ: quam etiam declarat Parabola Christi, Matth. XXV, 14, 8, 27. Luc. XIX, 12, sqq. Quippè DEUS hominibus, tanquam servis, insigne talentum credidit, ut negotiarentur per illud; quod sanè non est abscondendum & sepeliendum in terra, sed recipiendum cum usura. Sapientia enim absconsa, & thesaurus qui non videtur, quæ utilitas in utrisque? Syr. XX, 32.
 109 *Et nemo, cum lucernam accenderit, operit eam vase, aut subter lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. Non est enim occultum, &c. Luc. VIII, 16, 17.*

Sectio III. Acroamatica.

Qui cognitione DEI destituuntur, recepto vulgatoque nomine *Athei* appellantur. Ac de abstracto, *ἄθεότης* constat, quòd oppositum statuatur Religionis Christianæ; quâ ratione de illa agunt Systemata Theologorum, in Artic. de Religione. *ἄθεος* verò vox est *ἔγγραφος*, & reperitur Eph. II, 12. Omitam autem in præsentia, de hoc loco monere, quo ipsi sensu *Atheus* accipiat, cum Contextus svadeat, non simpliciter, sed secundum quid accipi debere: dicitur enim de illis, qui fuerint *sine Christo, abalienati à republica Israël, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes*: in quam rem prolixius videri poterit *Balduin. Comment. Epist. ad Ephes.* Illud verò tenendum: *ἄθεος* vi vocis eum esse, qui sine DEO est, non solum re, sed & professione, qui negat DEUM. Quamvis igitur hæc ratione videatur tantum Theologiæ nostræ Artic. I. impugnare, attamen *κατὰ συνακολουθίαν* & per consequentiam reverà integram Theologiam, & inde Religionem subvertit, cum non solum utraqve tota circa DEUM, tanquam suum objectum versetur, verum etiam hujus ea ratio sit, ut totaliter & quâ omnes sui partes accipi debeat: neque enim, qui hunc vel illum Theologiæ & fidei articulum tenet, alio fundamentali neglecto, dicendus est aut Theologus, aut veræ religionis cultor, sed qui omnes simul; hinc dicitur fides copulativa, cujus soluto uno articulo cæteri
 omnes

omnes dissolvuntur. Ad hæc *Atheus* aliquis non uno & eodem modo dicitur. *Atheos* $\Psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\nu\acute{\omega}\nu\omega\varsigma$ appellatos fuisse *Anaxagoram*, *Lucianum*, *Socratem*, &c. tradit *Vossius*, *Theol. gent. p. 4.5.* ita enim vocatos à nostris quidem ait, quia sic apud gentiles legissent; à gentilibus verò, quia Deos gentium pro Diis non haberent: cujus rei exemplum capere licet à *Anaxogora*, ut qui ἀσεβείας sit accusatus, quia Solem, quem pro Deo colerent Athenienses, dixisset μύθεον διάπυρον. Quid ergò, pergit, eóne *Anaxagoram* ἀθεον ἡγήσασθαι putabimus? quin ipsos potius iudices tam horreni criminis credimus reos, &c. Porro, *Lucianum* ἀθεον appellari à *Just. Mart.* (putà ex III mente gentilium, quos ipse fecutus) qui etiam, *Christianos* à gentilibus ita vocari, scribat. *Socratem* item, quia non eosdem, ac Athenienses sui, coleret Deos, *Impietatis* accusatum. *Æthiopes* similiter *Atheos* esse creditos, quia nulla haberent simulacra in templis. Hæc ille. *Atheorum* verò nomine communiùs veniunt, qui omnem religionem contemnunt, ac DEI imprimis providentiam abnegant, & impune quidvis perpetrunt; *Calov. Syst. T. I. p. 124.* Tales fuere veteres *Epicurei*, quos reprehendere frequenter solent Theologi in *Artic. de Providentia.* Ita enim *B. Chemnit. Loc. P. I. p. 129,* explicans *Dn. Philippum*: *In seriis tentationibus cogitantes de Providentia. sumus vel Stoici, vel Epicurei*: Pergitque deinde recensere *Epicureorum* errorem: *DEUM sc. qui summè beatus est, non affici curâ gubernationis rerum inferarum, &c. esse certas vires causas secundis insitas, secundùm quas, quando fit applicatio agentis ad patientem, fit actio & mutatio quædam; sed illam applicationem non administrari & gubernari à DEO, &c.* Pluribus hæc persecutus est *B. Hutter. Loc. p. 219, sqq.* Aliàs satis trita distinctio est inter *Atheum speculativum & practicum.* De illis dictitant, non posse omninò dari homines, DEI existentiam explicitè inficientes, & quidem id firmiter animo persuasos, ex serâ eaque libera animi sententia, ordinariè ac naturaliter: quod probatur 1. à Subjecti universalitate, antè demonstrata 1) ex S. Scriptura, & imprimis loco nobis proximo. 2) inde, quòd notitia eadem naturalis est, ac proinde necessaria: quò fit, ut ex necessitate eadem, tanquam notitiæ illius attributo, Universalitatem ejus derivent. Hûc refer, quæ in *Gisb. Voëtio* reprehendit *B. Calov. Syst.*

H

T. II.

T. II. p. 39. & 97. Ille enim ita necessariam notitiam naturalem dixerat, quàm necessarium sit homini, habere intellectum; & aequè implicare, quàm, hominem esse absque ratione: hinc B. Calov. non apparere talem repugnantiam, quandoquidem Inſita DEI notitia non sit ita de essentia hominis, quemadmodum essentia ejus est intellectiva & c. 3) ex natura imaginis divinæ. 2. à Justitia & bonitate DEI; quemadmodum enim illa requirit, ut habeant homines παιδαγωγίην aliquam, quâ ad DEI divinæque voluntatis cognitionem duci queant: ita hæc valdè periclitaretur, si quidem DEUS mediis parſiſſet, unde ansam saltem accipere homines possint, ulterius inquirere; quinimò non forent sic ἀναπολόγητοι: nec enim omni apologiâ destituerentur, & res sine ἀντιλογίαις & exceptionibus non abiret, præsertim cum aliàs hominum cacoëthes sit, inde à Protoplastis traductum, ut folia prætexere iis quærant, quorum ipsos pudere oporteat. 3. ex Inductione: ne unus quidem in scenam produci potest, de quo cum veritate affirmare liceat, esse talem, quem paulò antè descripsimus, Atheum; illi enim omnes, qui comunitè recensentur, planè præter rem adducuntur: e. g. qui in ipso hoc Seculo vixit, Jul. Cæs. Vaninus, vel, ut alii, Lucilius Vaninus, quiqve Tholosæ vivicomburium passus est, lingvâ exsectâ; aut qui hodiernum in Anglia, Batavia, Italiaque vulgò dicuntur Athei, theoretici propriè dicti minimè erunt. Et, si vel maximè essent, paucorum hominum furor huic communi notitia non magis officeret, quàm paucorum mente captorum insania everteret hominis definitionem. B. Qvenst. Syst. P. I. p. 259, 4. Plura argumenta, quibus Voëtius utitur, invenies apud Calov. l. c. Cæterum quæ in hanc rem communiter solent obijci, præprimis ex Ps. XIV, 1, diluta alio loco sunt. Athei practici vocantur, qui vitâ impiâ & scelestâ ostendunt, se DEum non credere: sunt itaque tales declarativè s. notificativè; quamvis enim facilè non audeant Deum negare, faciunt tamen, ut ita de illis sentire oporteat. Ejusmodi sunt, quos describit Paulus, Tit. I. 16. DEUM profitentur se scire, cæterùm factis negant, cum sint abominabiles, & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi. Et dixerunt: Non videbit Dominus, & non intelliget DEUS Jacob. Ps. XCIV, 7. Esa. XXIX, 15, 16.

PARS

PARS III. dictans

Reatum s. Pœnam.

εις τὸ εἶναι αὐτὸς ἀναπολογήτης.

Sect. I. Philologica.

Εις τὸ εἶναι] Græca est construendi ratio, quâ Infinitivo utuntur vel sine Præpositione, vel, in similibus exemplis, cum eadem: quâ ratione omnes ferè Præpositiones inserviunt, ut πρὸ τῆ τὸν κόσμον εἶναι, antequàm mundus esset, Joh. XVII, 5: ἐν τῷ εἶναι αὐτὸς ἐκεῖ, cum illic essent, Luc. II, 6. &c. Habent tunc Infinitivi significationem Gerundiorum, quæ, cum Verba græca πρὸς non agnoscant, meritò sic circumscribunt, v. g. εἰς τὸ ἐδίδειν καὶ πίνειν, ad edendum & bibendum, I. Cor. XI, 22. Resolvi etiam possunt per Coniunctiones, ἵνα, ὅπως, constructas cum Coniunctivis Verborum, pro discrimine exemplorum, e. g. εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον, ut videam faciem vestram, I. Thess. III, 10. ἀντὶ τῆ λέγειν ὑμᾶς, pro eo quòd dicere debueritis, Jac. IV, 15. 'Εις verò Partic. quemadmodum aliàs terminum s. loci s. temporis ad quem, indicat, ita etiam h. l. terminum rei, finem & eventum denotat. De aliis ejus acceptionibus in præsentī non sumus solliciti.

Ἀναπολόγητος] Simplex est λόγος, à λέγω, dico, significat Verbum, Sermonem, ut & Rationem, non saltem proprium illud hominis, sed proportionem etiam, quæ ad Justitiam pertinet, & in rebus distribuendis & commutandis observatur; nec non cujuscunqve rei causam. Deinde Compositum, ἀπολογία, defensionem notat, quæ verbis fit, certâ ac evidenti probatione, contra adversariorum ἐγκλήματα, habetque eam vim, ut possit τὸς ἐναντίος νικᾶν, Suidas ex Polyb. Ejusmodi est qualiscunqve defensio s. fidei & doctrinæ, s. factorum & vitæ. Quoad prius ἀπολογίας genus, solent non integræ solùm Ecclesiæ & Cœtus, sed quilibet etiam privatus Ecclesiæ Doctor fidei rationem reddere,

H 2

vel

vel vivâ voce, vel scripto; atque sic specialitèr Apologia dicitur Liber Symbolicus noster secundus, autoritate Statuum Evangelicorum, August. Confessioni invariatae, additus, eam ab adversariorum criminationibus vindicans. *Præf. Apol. p. 48.* nec non Apologia Form. Concord. Anno 1583, edita, itemque adversariorum insultibus opposita. Exstat prætereà Defensio Pupillæ A.C. ut & eam sequens ejusdem Defensionis Apologia; nec non Apologia Decisionis Saxonicae; quæ ultimæ à Theologis Saxonis adornatae; & plures hujus generis aliæ. Postea significat eadem vox, defensionem factorum, ab hoc vel illo susceptam, quâ quis actionum rerumque gestarum causam dicit, earumque rationem reddit. Sed ἀναπολόγησις defensionis negationem, indicat, præfixo α privativo & interposito ob sequentem vocal. v epenthet. quo vocabulo Cic. utitur ad Attic. *Hoc verò nihil turpius quovis reipubl. tempore: sed & hoc ἀναπολόγητον.*

Sectio II. Exegetica.

117 **Ε**ΙΣ τὸ εἶναι αὐτὰς ἀναπολογίτας] Hæc Judicii exitum delineant, quò tandem post priorum Partium evolutionem deveniendum erat. Utque hæc etiam operâ rectè perfungamur, juvabit ad planè pleneque intelligendam Ἀναπολόγησιν, ea quæ vox hæc in ambitu suo includit, præmittere. Itaque primò Scriptura DEO O. M. tribuit quandam inquisitionem, examen, & rationem, quam instituat: nam *Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit συναῖραι λόγον cum servis suis, Matth. XVIII, 23. Homo peregrè proficiscens tradidit servis bona sua, & συναίρει μετ' αὐτῶν λόγον, Matth. XXV, 19. Homo dives ait dispensatori injusto: Ἀπόδ' ὁ τὸν λόγον dispensationis tue, Luc. XVI, 2. De quocunque verbo otioso, quod locuti fuerint homines, ἀποδώσῃσι λόγον, Matth. XII, 36. Unusquisque nostrum de se ipso λόγον δώσει DEO, Rom. XIV, 12. Qui presunt, vigilant pro animabus nostris, ὡς λόγον ἀποδώσουσι, Ebr. XIII, 17. Ἀποδώσῃσι λόγον ei qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos, I. Petr. IV, 5. Tum Ἀπολογία opus est, quam in promptu nos habere oportet, si salvi esse*

Luc. XXI, 14. Act. XXII, 1. c. XXV, 16. II. Tim. IV, 16. Ad verbum idem sonat, quod, *sine exitu in latitudinem s. in spiritum & ventum*, à Rad. $\omega\omega\omega$, dilatavit, unde $\rho\lambda\alpha\sigma\sigma$, Respiratio, Recreatio, ut II. Cor. VIII, 13. Et est emphasis illius phraseos hæc, quod eum significat, qui ita in angustias redactus est, ut nullum planè exitum prospiciat, quò elabi possit: vel qui destitutus est spiritu & respiratione, ut pulmones sint quasi compressi & constricti, nec dilatari queant: (quomodo ei respondent voces græcæ: *συναχθῆ, ἀπορία, στενοχωρία*, & similes:) idque tum ex tremore & angore, ut Esa. XXVI, 18, tum ex defectu materiæ respondendi, ut è contrario spiritu abundat, qui multa ser-
¹²¹ mone efferre, animo concepit, Job. XXXII, 12, 14, 18, sqq. Sed *ἀναπολόγησις* ipso quidem termino solam *σέρησιν* & negationem excusationis dicit; consecutivè tamen & infelicissimam conditionem & statum, qui *ἀναπολόγητον* insequitur, ponit. Primò per Excusationem intelligitur id, quod quocunque modo prætexere impietati suæ poterant, & sic suæ salutis consulere: tum præcipuè, quò digitum Apostolus per antecedentia verba intendit, & quò omnium maximè confugere, seque recipere proclives sunt, Prætextus Ignorantiæ, qui creberrimus esse consuevit penes cujuscunq; legis latæ prævaricatores; ita ipse Christus inter servum, qui voluntatè Domini sui cognovit, & qui non cognovit, apertè distingvit, & utrisq; planè inæquales plagas dicitat, Luc. XII, 47, 48; quinimò, quibus voluntatem DEI evangelicam non revelatam fuisse, tantisper supponit, à peccato & ejus reatu liberos pronunciat, dicens: *Si non venissem, & non locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.* Joh. XV, 22, 24. c. IX, 41. Et ratio est in promptu: Leges enim instar normæ sunt, ad quam omnes nostræ actiones conformandæ: hanc igitur illi, qui eam sequi debet, satis
¹²² cognitam esse, necesse est. Enimverò, quantumcunq; ponderis Ignorantiæ causatio aliàs habere possit, omnis tamen hoc loco eò prolabendi via præcisa est, ut reus hæc excusatione uti ne audeat quidem, cum seipsum sentiat à omni effugio exclusum, & à latibulo, quò se abdere licuisset, interceptum: imò vel Judex etiam ipse argumentum, quod in defensionem prætendi po-

poterat, anticipet, retorqveat & invertat. Cum hac ἀναπολογία-
 σης conjunctus est infelicissimus subjecti status, miserix & ca-
 lamitatis plenissimus: sic enim homo pessimè turpissimèque in
 ruborem datus est: *Erubescite à contemptu acceptionis & dationis,*
 Syr. XLI, 24. *Semen securitatis, qui timent Dominum, & pretiosa*
planta, qui diligunt illum: Semen ignominia, qui non attendunt legi,
semen erroris, qui transgrediuntur mandata, c. X, 23. adest maxima
 animi depressio & abjectio: non παρρησία & fiducia, in qua Ju-
 stus st. re dicitur, Sap. V, 1; sed αἰχμή, I. Joh. II, 28. accedit pavor
 & metus à instantibus malis: *Timida res proprio malitia teste* 123
condemnata. Semper autem præoccupavit seva contenta conscientia.
Nihil enim est timor, nisi proditio eorum qua à cogitatione auxilio-
rum. Ab intra autem existens minor expectatio majorem putat
ignorantiam, præbente tormentum causá, Sap. XVII, 10, 11, 12, 13. se-
 quitur silentium: quod equidem non semper ἀναπολογίας in-
 dicium est, sed quandoque innocentix signum, exemplo Chri-
 sti, Luc. XXII, 67, 68. c. XXVII, 14, ut impleretur prædictum de eo à
 Esa. LIII, 8. Hinc Syracid. distingvit: *Est tacens, non enim habet*
responsum; & est tacens, sciens tempus, c. XX. 4. frequentius autem
 ejusmodi silentium est impositum, coactum, adeòqve invitum,
 ac proinde tale, quale Matth. XXII, 12, verbo pass. insinuat, per
 vocab. ἐφίμωθη, ut ne hiscere quidem, ne mutire audeant ad-
 versus Judicem, *quorum damnatio justa est,* Rom. III, 8. hinc oritur
 tacitus assensus & comprobatio Justitix divinæ, ut, velint nolint,
 fateri oporteat, sibi à DEO injuriam minimè fieri, Levit. XXVI,
 41. Deinde, quemadmodum ἀναπολογία Culpam præsuppo- 124
 nit, ita non Reatum solùm, sed & Pœnam secum trahit; ejusmo-
 di enim necessariò se consequuntur: unde usu Scripturæ uno
 posito, alterum simul involvitur, ut videre est Ps. XXXIV, 22, 23.
 hinc, postquam ille in Parabola, factâ inquisitione, obmutuit; sta-
 tim executio suscipitur: *Tunc dicit Rex ministris: Ligatis pedibus*
& manibus ejus mittite, &c. Matth. XXII, 13. c. XXV, 30. c. XVIII, 34.
 similiter, cum illi qui Regi Judici à sinistris stabant, ad illius
 instantiam non ampliùs essent respondendo, illicò eos supplici-
 um ferit, c. XXV, 46. Pari necessitudine gaudent voces ἀνα-
 πολίγητον & ἀδόκιμον, quod significat Inutile, reprobum, rejecta-
 neum,

neum, scorias, Prov. XXV, 4. *maledictioni confine, cuius exitus in combustionem*, Ebr. VI, 8. Pœnam igitur, quæ ἀναπολογήσιως certum consequens est, generalitèr quidem Apostolus interminatur v. 18. *Revelatur ira DEI de cœlo adversus omnem impietatem, &c.* sed specialitèr v. 24. sqq. ad fin. cumque hæc pœnam saltem inchoatam manifestent, consummata & ultima habetur, c. II, 8, 9.

125 *Iis, qui veritati non obtemperant, sed obtemperant injustitiæ, ventura est indignatio & ira, & afflictio & anxietas; imò mors s. damnatio æterna* c. I, 32. & II. Theff. I, 8, 9. *DEUS infliget ultionem iis, qui non noverunt eum, qui pœnam luent, interitum æternum à facie Domini, & à gloria fortitudinis illius.* Licèt verò ex iis, quæ hætenus proposita sunt, ratio ἀναπολογήσιως sic satis intelligi possit; nondum tamen de causa, quæ ἀναπολόγητον efficit, prorsus explicatè traditum est. Proinde Causæ, quæ hoc loco concurrunt, sequentes sunt: Cognitio DEI naturalis & illius abusus; tum conscientia; tum DEUS; nam ita se mutuò insequuntur, θεογνωσία naturæ concessa velut actor est, qui de illata sibi vi & violenta sui oppressione hominem accusat; & cum eadem, imprimis quoad notitias practicas, Lex nuncupetur, paritèr vim ἐλεγχτικὴν habet, arguendi & accusandi transgressores, quæ moralitèr tribuitur Joh. V, 44. Rom. IV, 15. Abusus Notitiæ DEI vel ejus injusta detentio, promerens & deficiens causa est, hinc adeò suo effectu digna; quemadmodum enim illa privativa est, ita etiam hunc talem de se producit. Conscientia vicem testis gerit, atque id, cuius homo reus peragitur, confirmat; quin & ipsa accusat: hanc enim utramque vim ei Paulus adscribit Rom. IV, 15. Ultimò accedit DEUS, Judex justissimus, qui autoritativè & definitivè ἀναπολόγητον reddit, eumque talem esse declarat. Sed in his Causis, Notitia DEI, originaria & ultimata est, quam propterea hic primo loco posuimus, cum inde etiam Apostolus ἀναπολόγησιν deducat. Ut verò rationem concludendi, quam Apostolus adhibet, rectè percipiamus, expositio hæc secundum illius scopum & intentionem adornari debet: quæ non est, de Theologia naturali in se & natura sua, quæ tali & in abstracto agere, sed in concreto, secundum ejus statum, in hominibus veritatem in injustitia detinentibus: non
in

in debito & ordinato illius usu, sed in inordinato & illegiti-¹²⁷
 mo abusu, qui non juris est, sed facti: id quod ἀνοψία Tex-
 tūs ad oculum ostendit; invehitur enim in gentiles, quos se-
 cundū scelera accuratè depingit v. 18. ad fin. unde quivis si-
 ne negotio animadvertit, eam descriptionem Notitiæ natura-
 lis, quam ultimò respicit Apostolus, nonnisi personalem esse.
 Quemadmodū igitur præpostera hæc ἁγορεύματα usurpatio illi
 neutiq̄vam est essentialis, nec conceptum illius ingreditur, sed
 ei solum accidit; ita etiam hic effectus merè accessorius & ac-
 cidentalis est. Nec proinde finis propriè dicitur, cum nec ab
 homine impio sciente & volente intendatur, nec à DEO eti-
 am directè & per se, sed indirectè & per accidens, consequen-
 tè, & sub conditione finis proximi, primarii & per se, à agen-
 te non obtenti. Quamobrem malunt ἐμβασιν potius & even-
 tum dicere, quàm finem: hinc phrasin, ἐς τὸ εἶναι, exponunt
 per ὡς εἶναι; cui consonat german. Luth. also daß ic. *Gerb. Exeg.*
p. 701. Glafs. Philol. S. L. 3. p. 618. 621. Eamq̄; Expositionem adeò¹²⁸
 non potuerunt dissimulare Calvinianorum quidam, ut aliter
 explicare, durum censeant. Vid. *Polus. Syn. Critic.* Quæ cum
 ita sint, Lex, ut talis, minimè est causa inexcusabilitatis: *Quid*
ergò dicemus: Lex peccatum est? Absit. Itaque Lex ipsa quidem san-
cta, & præceptum sanctum ac justum & bonum; Rom. VII, 7. 21.
 Igitur potius Legis violatio, quemadmodum id supra decla-
 ratum. Etsi autem per hæctenus demonstrata, homines Veri-
 tatis naturalis abusu inexcusabiles & æternæ perditionis rei e-
 vadant; tamen minimè putandum, eos per legitimum illius
 usum liberos salutisq̄; participes reddi; valet nempè id nega-
 tivè saltem, non verò affirmativè: de quo vid. *Gerb. Exeg. p. 699.*
Calov. Theol. Apost. Rom. Orac. 11. Rager. Exeg: Epist. ad Rom. p. 24.
 nam, cum omnis quidem deficiat ratio, posterius de Theolo-
 gia naturali asserere, de priori tamen nullum, ut opinor, super-
 est dubium: potuissent enim, si voluissent, mediante hæc
 naturali DEI cognitione ad ejus veram & salutarem perducī.
 Sed est illa Ignorantia vincibilis & voluntaria, supina & cras-¹²⁹
 sa, cujus culpa in eo residet, qui rem novisse & debuit & po-
 tuit

tuit. Ignorantia ἐπίσπασος, spontè attracta, neminem excusat. DEus enim nullo non tempore Ecclesiam suam in tam illustri cultu collocavit, ut fama de vero cultu divino dimanarit ad omnes gentes, ut, si voluissent, potuissent inquirere DEum Israël: Quin curavit etiam Evangelium operâ & studio Apostolorum annunciari universo mundo &c. Hutterus Loc. de Lege Nat. p. 387. sq. Similia habet Chemnit. LL. p. 21. & Gerb. Exeg. l. c.

Sectio III. Acroamatica.

HÆc, quâ & finem labori nostro imponemus, circa Finem Θεογνωσίας naturalis occupata erit. Est hîc autem primò faciendum discrimen inter hominis statum integritatis & corruptionis: nam, pro illius diversitate etiam distinctè de fine ¹³⁰ne pronunciandum est. Illic enim cum imagine divina Cognitio DEi naturalis erat adhuc vicens & multis partibus perfectior, ut plurima tum homini constiterint per naturam, quæ nunc naturaliter alto silentio involuta sunt: unde nullum dubium est, quin illa de DEO naturalis notitia multò plus in homine valuerit, vel saltem finem, ad quem ordinata est, longè perfectiùs certiusque assecuta fuerit. Neque tamen ausim asseverare, eam ad cultum DEi omnibus numeris absolutum & consequendam salutem suffecisse, ob superadditam DEi revelationem per verbum externum, quod nunquam non in Ecclesia sonuit: itaque debebant sic generaliter saltem informari; specialior autem institutio à specialiori revelatione expectanda erat, quam contigisse, docent leges positivæ à DEO promulgatæ, de colendo & custodiendo horto Eden, de non comedendo fructu ex arbore vetita, Gen. II, 15, 16, 17. Verùm per lapsum insignitè defecit ille notitiæ naturalis vigor; est enim *aut nulla, aut imperfecta, aut languida*, dicente B. Chemnit. LL. p. 20. propterea & ad obtinendum finem, cujus ¹³¹gratiâ. primo homini erat concessa, remissior segniorque. Cæterum illud capiendum de fine essentiali & per se; quem his paucissimis liceat dare explicatum. Et est citra controversiam
ulti-

ultimus simpliciter talis, divini nominis gloria: qui & finis ex parte DEi, hominem notitia sui instruentis, ad quem tum ipse omnia, quae facit, dirigit, & nostras quoque actiones vergere vult. 1. Cor. X, 31. Ultimus secundum quid, idemque ex parte nostri, est aeterna hominum salus; ad quem vero finem, proximè minimè pertingit, sed solum remotè: quò referenda sunt omnia ea, quae contra adversa sententiae defensores solent adduci. Consequitur inde, dicendum esse, vel, DEum interposuisse specialem verbi sui revelationem, quae vitam aeternam proximè attingat; vel, dari finem quendam intermedium inter DEum, notitiae naturalis autorem, & hunc memoratum ultimum. Talis vicissim ita sibi subalternatur, ut principalior sit, Pædagogia, s. Chiragogia & manu ductio ad uberiores DEi manifestationem per verbum in Ecclesia: quo fit, ut in¹²³ convincendis informandisque ethnicis, indidem exordium faciendum esse, & sic ad patefactam DEi cognitionem deveniendum, doceant. Habetur ille finis Act. XVII, 27. *ut quærent DEum, si forte palpent & inveniant.* Etenim habebant jam antè rudimenta quaedam, σοιχηα & elementa cognitionis DEi; quae verò sibi non sufficere, facile sentire poterant, cum omni certitudine fuerint destituta, & cum perpetua animi fluctuatione & dubitatione conjuncta: hinc in illa notitia minimè acquiescebant, sed ferebantur ulterius, quâ ratione quavis res, sui perficiendi, & finem, ad quem destinata est, consequendi, naturali quodam impetu gaudet; unde *ὁρμητικόν* dicitur vel incitamentum & incentivum, ob eandem, quam indicavimus, causam. Sub hoc fine continetur alius, qui est Pædevticus, potiùs tamen ad notitias practicas pertinet, & propterea magis politicus, dum ad rempublicam seu politiam, conservandam in ea societatem, & cœercendos disciplinâ quoscunque homines, confert: unde adeò quavis leges Politicæ, etiam quavis inter Ethnicos viguerunt, originem suam traxere; nulla enim est gens tam immanis atque barbara, quæ non per hanc naturæ legem in ordine contineatur, & sic per eandem à brutis animantibus discernatur: Apud renatos verò etiam illa natu-


ra-

ralis notitia regit ἡ ἐπιθυμητικὸν, ne in enormia scelera ruant
 contra conscientiam. Hæc communis Doctorum, de fine
 θεογνωσίας naturalis proprio, sententia est. Accidentarius est
 jam à nobis antè declaratus. Quæ autem de hoc argumento
 commemorari prætereà merentur, ea erunt ferè, quæ conce-
 ptum & quidditatem illius finis concernunt: cujusmodi si pro-
 bè observaverimus, de illis, quæ inter nos & adversarios nostros
 hoc loco intercedunt, eò facilius licebit judicare. Sed hæc
 persequi, haud absque ratione desistimus, veriti, ne, si semel
 huic negotio nos commiserimus, res majorem diligentiam
 postularet, quàm ut eam numerus pagellarum, quem nobis
 destinavimus, capere possit. Sic itaque tendimus ad portum:
 quod superest æquis bonorum omnium æstimationibus nos com-
 mendamus, DEO pro concessa nobis gratia & Spiritûs S. auxi-
 lio grates devotissimas nuncupantes. Huic REGI

SECULORUM IMMORTALI, INVISIBILI,
 SOLI SAPIENTI DEO SIT HONOR
 ET GLORIA IN SECULA SE-
 CULORUM. AMEN.







Ja 30/10 ✓

(1)
Nur für den Lesesaal!

ULB Halle 3
001 874 462



Sb


VD 18



WMA

Mt.





31

Fortunante DEO,

DE

ΓΝΩΣΙΑ

NATURALI,

QUI HAC ABUTUNTUR

ναπολογήσει,
Saculo Paulino,
Rom. I, 19. 20.

RÆSIDE

erendo, Magnifico, Amplissimo,
cellentissimoq;

RE LOESCHERO,

z P. P. optimè de Ecclesia merito,
t. Decano maximè spectabili, Consist.
ando, Ecclesiæ Wittenberg. Pastore
li Elect. Saxon. Superattendente
li longè gravissimo,

atore, eodemq; Hospite suo q'vovis
cultûs genere dignissimo,

thedra B. Lutheri

fferet publicè

ae.

AUTOR

. ERNEST. MUSSIGK.

Lub. Luf.

April. M. DC. XCIII.

Witteberga,

is Michaelis Goderitschii.

